

Systematica collectio

II. füzet

Sajtó alá rendezte és a bevezetőt írta

Stempely Irén

Szerkesztette Bogár Judit

Lektorálta és az átírást ellenőrizte Szádóczki Vera



Pázmány Péter Katolikus Egyetem
Bölcsészet- és Társadalomtudományi Kar
Piliscsaba, 2013

Pázmány Irodalmi Műhely

Források

A forráskiadás a TÁMOP-4.2.2/B-10/1-2010-0014,
'TEHETSÉGTÁMOGATÁS A PÁZMÁNY PÉTER KATOLIKUS
EGYETEM KILENC TUDOMÁNYÁGÁBAN' c. projekt
támogatásával készült.

A sajtó alá rendező a pályázat készítésekor
a PPKE BTK hallgatója volt,

a kötet szerkesztője ugyanott
az Irodalomtudományi Doktori Iskola oktatója,

a kötet lektora pedig doktoranda.

A kötet tördelőszerkesztője Finta Gábor, a doktoriskola témavezetője.

A tartalomjegyzék és a bevezető tanulmány az első,
a névmutató a második füzetben található.

ISBN 978-963-308-115-0

ISSN 1588-2306

[1] *Systematica collectio*

Idealium, et praecipuarum benignarum resolutionum regiarum in negotio revisionis librorum emanatarum, et in partes suas, seu capita observata caeteroquin annorum redactarum, ea quidem ratione, ut una tam emanationis, quam factae earundem per excelsum Consilium Locumtenentiale Regium Hungaricum suis locis intimationis datum marginaliter adnotetur, ex actis praelibati consilii regii elucubrata.

Caput I^{mum}.

De negotio revisionis librorum ideales benignae resolutiones regiae ordine referuntur, et instructio tam pro commissione hac, in negotio censurae librorum operante, quam et pro patribus revisoribus hic constitutis proponitur.

Dum supplementalis instructio a *Caesareo* Regia Apostolica *Maiestate*, *excelso* Consilio *Locumtenentiali* Regio 18^a Januarii anni praesentis clementer praescripta, sub praesidio serenissimi ducis locumtenentis regii die 7^a Martii publicaretur, dignabatur serenitas *vestra*, et *excelsum* consilium decernere, ut singula commissio benigno hoc mandato regio ordinata, non solum instructionem agendorum sibi elaboret, verum etiam omnes ad suam sphaeram reperibiles benignas ideales resolutiones diligenter colligat, et *excelso* consilio super utroque hoc labore suam quo citius [2] Relationem faciat et tametsi commissio haec omnes ideales resolutiones regias necdum in ordinem redigere, minus instructionem plenam agendorum formare potuerit, cum tamen circa censuram librorum plures resolutiones regiae pro ratione temporum, et circumstantiarum mutatae, eaeque commissioni isti eo, quod censurae librorum jam primati, et archi-episcopo Strigoniensi, jam episcopo praesidi commissionis privative credita fuerit, non usque quaque notae observentur. Censurae autem, et revisiones, seu imprimendorum, seu impressorum librorum singula fere die occurrant; hinc prae reliquis collectionem idealium resolutionum regiarum immo etiam protocollorum commissionalium praecipuorum, materiam hanc respicientium, pro sui

directione assumere, et una his *benignis* resolutionibus regiis conformem pro patribus revisoribus instructionem concinnare statuit commissio haec obsequentissima.

Primum igitur ideales resolutiones in duas secernere classes, scilicet circa imprimendorum, et impressorum librorum censuram, observata caeteroquin annorum serie, et commissionis protocolla, seu *excelsi* consilii repraesentationes, ad quas *benignum* rescriptum regium elargitum intermiscendo hic exponit.

Extractus

Benignarum resolutionum regiarum circa imprimendos libros, horumque censuram.

(1726. 8^a Februarii) Typographiarum singula elenchos quorumvis operum in iisdem ab anno 1712 impressorum, cum denotatione an, et per quem eadem censurata fuerint, praeterea quorumvis librorum, aliorumque operum ab exordio hujus anni impressorum, et futuris etiam temporibus imprimendorum, tria exemplaria evoluta quolibet semestri consilio *locumtenentiali* transmittantur, per idem ad augustam aulam promovenda, disponendum clementer comittitur.

[3] (1726. 2^{da} Augusti) Quoad typographos, et typographias in regno de praesenti habitas, disponendum committitur, ut typographis, qui super exercitio artis suae, regiam concessionem habent, typographia admittatur, cunctaque typis a se mandanda censura, et quidem in theologicis, et moralibus constitutorum idcirco censorum ecclesiasticorum; in politicis vero jurisdictionati loci magistratus praevie submittere debeant.

(1730. 25. Maji) Nemini omnino typographorum artis suae exercitium in Hungaria admittatur, nisi speciali eatenus regia concessione, seu privilegio provisus existat, hi vero, cuncta typis a se mandanda revisioni partim dioecesanis *episcopis*, partim jurisdictionatis magistratibus praevie subjiciant, id tamen specialiter hic praecipitur, ut revisiones circa politicos libros, a locorum magistratibus factae ad Consilium *Locumtenentiale* Regium, pro ulteriori revisione mittantur, hoc vero, stabiliter duos, vel tres prudentes viros, ad haec rite exequenda de sui gremio peculiariter constituat, et in gravioribus eatenus occurrentibus materiis ante impertiendam desuper

approbationem idcirco opinionem suam, Suae *Maiestati* submittat. Porro ut singula civitatum, in qua typographia de facto habetur, indaget, an, et quale, quis desuper impetraverit privilegium, numve quoad censuram facta dispositio ibidem rite observetur, genuinam desuper *excelso* consilio faciat relationem.

(1747. 19. Julii et 1751. 25. Junii) Typographi in regno existentes nulla privata scripta absque eorum, quorum interest, revisione, censura, et approbatione publico praelo suscipiant, disponendum committitur.

[4] (1754. 7. Januarii) Libri omnes cujuscunque generis, et ordinis, seu noviter in Regno Hungariae imprimendi, seu cum qualicunque additamento reimprimendi, praevis Viennam propriis eodem imprimi curare volentium expensis, submittantur, neque secus per quamcunque typographum typis mandentur, salva quoad libros theologicos, et materiam dogmaticam concernentes, apud locorum dioecesanos superrevisione permanente ad cujus effectum necessaria disponi feris praecipuntur.

(1754. 14. Maji) Ad evitandos nihilominus typographorum sumptus, benigne annuitur, ut praespecificati libri per constitutos in Hungaria censores revideantur.

(1756. 22. Januarii) Calendariis imprimi solitis diversae futiles, et quandoque etiam corruptelam morum inducentes historiae, non secus inanes, et in se minus fundatae circa venae sectionem, scarificationem, medicinae sumptionem, capillorum, et unguium rescissionem observationes, dierum faustorum, vel infaustorum admonitiones, deinceps non adjiciantur, apud typographos disponi committitur.

(1757. 10. Junii) Typographi omnes severissime inhiberi jubentur, ne *benignas* resolutiones regias, aliave acta negotium religionis concernentia, absque scitu, et consensu Consilii *Locumtenentialis* Regii, Suae *Maiestati* semper praevis repraesentando, imprimere, sub gravissima animadversione audeant; exemplaria vero, qua *episcopus* Veszprimiensis in negotio religionis circa apostatas et educationem prolium imprimi curavit, illico repetantur, neque eorum publicatio admittatur.

(1759. 1^a Februarii) Calendariis Jaurini imprimendis addi solitae novae appendices, non per magistratum civicum Jaurinensem, vel ut munere suo haud debite fungentem, verum per constitutos librorum censores revideri jubentur.

[5] (1761. 27. Aprilis) Typographi in minutioribus etiam quibusvis adeoque segregatorum quoque foliorum, et schædarum impressionibus ad calcem nomen, cognomenque suum exprimant, in omnibus typographiis disponendum committitur.

(1763. 31. Januarii) Typographi ex libris typis mandandis tria exemplaria (ex quibus unum apud Consilium *Locumtenentiale* Regium asservetur) reliqua Viennam ad augustam aulam promoveantur, in continuationem *benigni* mandati anno ad huc 1726. 8. Februarii expediti, ulterius serio moneantur, et si terminus privilegii expirasset, ad impetrationem novi privilegii stringantur, clementer demandatur.

(1763. 25. Julii) Est norma censurae Viennensis cum primate, et archiepiscopo Strigoniensi a Sua *Maiestate*, dum eidem supremam censurae librorum in Hungaria administrationem contulisset, communicata, et pro observatione præscripta, qua puncto:

1^o: Praecipitur, ut nullus typographorum libros per censores non probatos edere, et sub paena per *Maiestatem Sacratissimam* pro ratione culpae dictanda imprimere ausit, verum a censoribus facultas imprimendi expetatur, haecque gratis concedenda, a capite libri imprimatur; inde imprimendus liber in duplici manuscripto revisori tradatur, unus cum licentia imprimendi reddetur, alter reservabitur, ut si quid contra leges censurae mutatum, admissumque fuerit, ex ejusmodi retento manuscripto, de admissa culpa convinci possit.

2^{do}: Cum liber antiquus recudetur, ad exemplum assignandae ei per censorem editionis imprimatur, praefatio vero, et notae si addentur, haec censori revidendae, quemadmodum puncto 1^o continetur, exhibeantur, ac eadem ratione, qua alia nova scripta revideantur.

[6] 3^{tio}: Concessa scripto imprimendi facultas, per typographos in securitatem sui conservetur.

4^{to}: In pagellis minoribus, quibus licentiam praemittere supervacaneum videtur, id saltem apponatur, quod cum licentia censorum excussa sint.

5^{to}: Siquid clam, aut subdole attentatum observabitur, acceptis a supremo censurae direttore scriptis ordinibus, liberum erit per eum deputatis, typographias aut bibliopolas visitare, atque ea, quae sine approbatione, et licentia censorum impressa, aut jam damnata, prohibitaque deprehenderit, illico sequestrare, admissam vero culpam, eidem supremo directori ad *Maiestatem* Suam idcirco relationem facturo repraesentent.

6^{to}: Caveant typographi obscenas imagines libris inseri curare, aut ea, quae modestiae, ac puritati morum adversa sunt, distinctis notis signare.

7^{mo}: Caveant pariter censores, longiori, si desit causa, detentione, prouti et visitatores bibliopolas et typographos quacunq[ue] ratione divexare, verum congruo agendi modo, officio defungantur; item concessis a Sua *Maiestate Sacratissima* peculiaribus privilegiis tribuenda, non privilegiatis reprimendi facultate, censores nulla ratione derogent.

8^{vo}: Ad exigentiam *benignarum* resolutionum praecedentium, sub finem cujuslibet anni quilibet typographus ex libris, et quibusvis pagellis, a se per eum annum impressio duo exemplaria in crudo, tertium vero compactum, suo sumptu, et cura supremo censurae directori Posonium mittat, ab hoc, secundum *benignam* ordinationem regiam, duo exemplaria ad Cancellariam Regiam Hungarico aulicam submittantur, quod, ut certius constare possit, censores cum fine cujuslibet anni accuratum elenchum omnium librorum, pagellarum, et scriptorum, pro quibus imprimendis per eum annum licentias concesserunt, submittant.

[7] (1766. 29. Martii) Communicata est norma agendorum censurae Viennensis, quae ultimo *paragrapho* haec notat: scriptorum omnium quae quis prelo committere velit, duplex, et consona fiat copia, quarum una notatis die et anno exhibitionis, censori oblata, ex censura reduce, alteram si admissa subscriptione sua Imprimatur, si non admissa non licet, minutam partibus tradi, et ut si quae fraus vel ab authore, vel a typographo sit commissa, facile ostendi possit, exemplaria, quae a censore sunt subscripta, tam eorum, quae admisit, quam quae rejecit, sollicite custodiri debent.

(1770. 19. Septembris) (1^a Octobris circulariter per regnum) *Benigna* resolutio regia, quod Josepho Kurtzböck typographo Viennensi privilegium libros Illyricos privative imprimendi datum sit, ac ideo si libri Illyrici, in Hungariam aliunde inducerentur, ad instar mercium vetitarum, eo, unde venerant, remittantur, aut si subdole, et sine praevia insinuatione in Hungariam inventi deprehenderentur, fisco regio addicantur.

(1772. 23. Martii) (1772. 4. Junii circulariter) *Benigna* resolutio regia, qua constituitur, ut normae respectu saecularium typographiarum alioquin jam praescriptae, clerus etiam saecularis, et regularis in Regno Hungariae existens, semet pro futuro ad amussim conformare debeat, per consequens citra exceptionem nullum seu theologicum opus, seu conciones, seu theses, vel precatorios libros et cantilenas, vel alterius cujuscunq[ue] generis librum, seu

pro privato, seu publico usu destinatum, prelo committere audeat prius, quam opus, aut liber ejusmodi typis edendus per constitutam e gremio Consilii *Locumtenentialis* Regii censurae librorum *commissionem* suo modo, et consueto Ly[!] Imprimatur insignitum restituatur. [8–12: üres lapok]

[13] Circa librorum impressorum admissionem revisionem,
et censuram

(1730. 25. Maji) Quoad librorum alibi impressorum, et talia in se continentium, quae sive religionem, sive statum publicum ferunt, praecavendam in Hungariam inductionem, et distractionem, cum promotioni rei literariae etiam in Hungaria multum obsesset, si in finitimis tricesimarum stationibus indiscriminatim omnes libri, qui aliunde advehuntur, et in Hungariam induci desiderantur, sequestrentur, et hi ad viciniorum civitatem, parochiam, vel religionis ibidem constitutis, pro revisione invientur, ac non nisi hac superata in Regno Hungariae distrahi admittantur; hinc decernitur, officinas potius librarias, et bibliopolas ita circumscribendos esse, ut ii ejusmodi librorum extraneorum catalogum ante eorum distractionem praevie constitutis in tali loco librorum revisoribus exhibere, immo si isti unum vel aliud exemplar illorum habere desideraverint, illud quoque iisdem, et cum reliquorum exemplarium distractione ab eorum approbatione praestolari debeant.

(1731. 7. Januarii) Bibliorum, aliorumque catholicorum librorum inductio, absque praevia eorum numero prioribus editionibus ipsorum sint conformia, revisione duntaxat vetantur, ne videlicet nova quaequam religionis species in regnum cum maximo status publici praepjudicio introducatur.

(1731. 20. Martii) Ut libri in quantum de theologicis, et moralibus materiis tractant, per revisorem idcirco a dioecetano episcopo institutum indilate revideantur, et si in iisdem ipsi etiam instituto toleratarum in regno religionum adversum observarent, id Suae *Maiestati Sacratissimae* medio *excelsi* consilii repraesentetur, quod ipsum circa politicos libros, ob notatos quosdam naevos detinendos, a locorum magistratibus observandum praescribitur.

[14] (1740. 29. Decembris) Librorum acatholicorum revisionis occasione exponendum committitur, quod nimirum in uno, vel alio repertum est,

statum publicum feriens, vel alias scandalosum, aut prioribus Augustanae, vel Helveticae confessionis editionibus repugnans, specificè per revisorem exponatur, superinde demum, signanter ubi quoad ejusmodi libros retinendos, seu confiscandos paena decernenda foret, regia resolutio obtineri debeat, hacque seriatim Consilium *Locumtenentiale* Regium sibi referri faciat, et cum depromenda opinione Suae *Maiestati* repraesentet.

(1745. 21. Junii) Quod revisionem librorum acatholicorum concernit, resolvit Sua *Maiestatas*, ut non saltem uni religioso Societatis Jesu, sed pluribus, et aliis quoque religiosis a dioecesanis eatenus denominandis viris, revisio committatur, una addendo, ut librorum hactenus jam detentorum, et necdum revisorum revisio intra spatium duorum mensium finiatur, cum specifica expressione errorum; id vero, dioecesanis quibus competit, pro debita observatione intimetur.

(1747. 23. Februarii) Ne passim quosvis libros acatholicos, Augustanae et Helveticae confessionis cum maximo dominantis religionis Romano-Catholicae damno, pro arbitrio ipsorum in regnum inferre liceat, sed neque a talibus, qui cum modestia, et sine ullis in Magnam Dei Matrem, et sanctos, ac ecclesiam Romano-Catholicae, ejusdemque pontificem, et clerum, principes item catholicos injuriosis scomatibus, nec non fidelem populum impropriis, et calumniis, ad tuendas solum professiones ipsorum sineque novarum haeresum permixtione, conscripti sunt, arceantur, *Maiestatas* Sua *Sacratissima* clementer resolvit, ut ad prosequendum revisionis opus duo e Societatis Jesu viri religiosi ab ejusdem superioribus, ad id peculiariter, et absque ulla alia obligatione deligendi, Posonii sub directione archi-*episcopi* Strigoniensis, aut eo absente *episcopi* consilarii consilii regii, qua commissionis religionis [15] praesidis deputentur, qui libros secundum praescriptam normam accurate revideant, et si quid contra statum publicum, bonos mores, aut alias scandalosum religioni catholicae, principibus item catholicis, aut clero injuriosum scriptum repperint, id punctatim cum adnotatione libri capituli, et numeri marginalis, per extensum excerpant, et in scripta referant, ac dein archi-*episcopo* Strigoniensi, vel eo absente, *episcopo* commissionis religionis praesidi de tempore in tempus consignent, is autem laborem ipsorum consilio repraesentare debeat, abinde Suae *Maiestati* cum voto submittendum. Quod si autem nihil ejusmodi in dictis libris repperint, id ipsum quoque cum librorum, et nominum, ad quos pertinent, connotatione, eidem archi-*episcopo* significare, hic vero consilio

huic referre obligentur; cum porro experientia compertum sit, libros licet politicos, et in aliis materiis indifferentibus, et ab acatholicis conscriptos, magnum saepenumero virus continere falsa dogmata, *immo* ipsum quoque atheismum sub specie indifferenti instillare, quod publico longe perniciosissimum, et ipsi universali Christianitati damnosissimum est, econtra vero magistratus civici, quibus politicorum librorum censura hactenus concredita fuerat, subdolas hujusmodi scriptorum imposturas, quas etiam nonnisi bene oculatus pervideat, decernere haud didicissent, *immo* in ipsis etiam magistratibus ad revisionem acatholica nonnunquam subjecta destinari contingeret, hinc praevis ex rationibus ejusmodi quoque politicorum alias, et indifferentium librorum censuram praefatis ad id constituendis religiosis Suam *Majestatem* deferri benigne velle. Et cum relegiosi S. I. Posonii tenuiter admodum fundati essent; ideo pro duorum religiosorum intertentione ex *generali* parochorum cassa 400 *floreni* annue pendendi resolvuntur.

[16] (1747. 19. Julii) Librorum per circumforaneos ad nundinas adferendorum elenchus sub paena confiscationis patribus revisoribus pro futuro semper exhibeatur, et si inter hos vetiti reperirentur, dictis revisoribus in similium confiscatione magistratus assistat, et typographis Posoniensibus pariter injungat, ne ipsi ullos libros absque praevia revisione praelo *committere* ausint, *decisum* in consilio.

(1747. 10. Augusti) Librorum confixorum cathalogus tam penes Consilium *Locumtenentiale* Regium, quam et librorum revisores maneat, ejusmodique libri in sequestrum sub cura praefatorum censorum, ne ad alterius manus perveniant, reponendi committuntur.

(1747. 22. Augusti) Circa Biblia per acatholicos in vernaculam translata, aut ipsis curantibus edita, ad id principalibus tum per *episcopum commissi-*onis religionis praesidem, tum per deputatos censores reflectendum imposterum erit, ut non nisi ea, in sortem non admittendorum veniant, quae a primaevis per ipsos factis editionibus discrepantia, atque adeo noviter in favorem cujuscunque sectae corrupta, per utramque combinationem fuerint observata.

(1748. 21^a Januarii) Librorum censores eo inviari jubentur, ut ea duntaxat, quae statum publicum, bonosque mores feriunt, aut alias scandalosa sunt, quae vel religioni catholicae principibus Romano-Catholicis, aut clero injuriosa, aut novam quampiam haeresim olentia cumprimis observent,

atque talia in relationibus suis exponant, neque erroribus ipsorum enarandis multum post hac immorentur, sicque revisionem accelerare studeant.

(1748. 30. Aprilis) Ut constituti librorum acatholicorum censores catalogum detentorum, et modo praevio censurandorum librorum diligenter perlustrent, et ubi similes scholasticos (Ciceronis) vel de alia [17] etiam, quam religionis materia tractantes libros comperiunt, prae reliquis inspiciant, ac si, et in quantum nihil in iisdem, quod religionem, vel statum publicum offendat, deprehendunt, hos ac tales, absque ulteriori detentione, illorum proprietariis, restitutos, *excelso* consilio referant, benigne ordinatur.

(1749. 4^a Martii) Librorum, et scriptorum post defunctos acatholicos regnicolas remanentium sequestratio, et revisio velut per Suam *Maiestatem*, vel augustissimos praedecessores suos nunquam commissa. Sine praevio scitu et annuentia *caesareo* regia, per Consilium *Locumtenentiale* Regium non ordinetur, clementer praecipitur.

(1753. 12. Martii) Urgetur, ut sententiae, quae censura dignae videntur, propriis authorum verbis apponantur, et si liber praevia resolutione regia confixus putatur, ejusmodi resolutionis datum exponatur.

(1754. 25. Februarii) Libri per censuram Viennensem rejecti, etiam Posonii rejiciantur, et licentiosi, aut morum corruptelam inducentes tam hactenus rejecti, quam et dehinc rejiciendi, in privato praesentibus tamen duobus Consilii *Locumtenentialis* Regii consiliariis *episcopis* comburantur, libri autem dogmata non tolerata inducentes aut continuis quibusque calumniis, et scomatibus referti, caute diligenterque sepositi asserventur, ne per eos, quorum haud interest, quovis modo legantur, disponendum praecipitur.

(1754. 1^a Julii) Libri pro eruditione in rebus fidei Graeci ritus populi necessarii, sumptibus gratis parochorum cassae ex Polonia procurentur; archi-*episcopis* Strigoniensi, et Colocensi benigne praecipitur, copiaeque mandatorum regionum ad eos datorum *communicentur*. Libri schismatici semper irrevisi mittantur Viennam consignandi deputationi Illyricae, pro revidendorum revisione.

[18] (1756. 9^a Novembris) Libri per Viennensem censuram approbati, ejusque sufficiente testimonio muniti haud detineantur.

(1757. 1^a Julii) Libri ex exteris provinciis inducti, qui in Viennensi censura revisi, et approbati sunt, per censores etiam Posonii constitutos, et

Consilio *Locumtenentiali* Regio subordinatos, ubi ex authentico super ejusmodi approbatione testimonio constiterit, pro approbatis habeantur; vice versa Viennae rejecti, et prohibiti Posonii quoque pro talibus habeantur.

(1757. 8. Augusti) Vacante sede *archi-episcopali* revisores censuram commissioni religionis, cui saltem unus *episcopus* intersit, et si non praesit, praesentent.

(1757. 27. Augusti) Libri pro Graeci ritus non unitis majori numero in regnum illati, eisdem extradentur quidem, nihilominus singulorum librorum exemplar, medio Consilii *Locumtenentialis* Suae *Maiestati* submitti jubetur, si vero talismodi libri ad rationem Graeci ritus unitorum allati fuerint, iidem per Graeci ritus pariter unitorum *episcopum* Munkaciensem, adscito ad latus suum quopiam e Societate Jesu patre, lingua, et ritus gnaro revideantur, et censurentur, eorundemque censura Consilio *Locumtenentiali*, per idem vero Suae *Maiestati* cum opinione submittanda transmittatur.

(1757. 23. Decembris) Sua *Maiestas* significat, sigillum Biblicum, quo Viennenses librorum revisores testimonia sua, super libris ibidem admissis ad consequendam plenam fidem imposterum ruminare valeant, ordinatum esse, cujus etypon etiam adnectit pro Consilii *Locumtenentialis* Regii, et revisorum Posoniensium directione, sigillum autem hoc praefert aquilam caesaream bicipitem in pectore insignia regnorum, et ditionum augustae domus Austriacae exhibentem, hanc in circulo inscriptionem. Censura librorum aulica Viennensis. habens.

[19] (1759. 22. Februarii) Libri Vienna Posonium mittendi, de quorum peracta ibi revisione, mediante testimonio, praefata ratione emanato, constiterit, et involucra librorum sigillo ad id destinato obsignata fuerint, sine mora dimittantur, si vero testimonium revisionis exhiberetur, involucrum tamen sigillo ad id destinato obsignatum haud extiterit, totum illud duntaxat diligenter inspiciant; an non alii, quam in testimonio specificentur, aut specificatis nefors admixti reperiantur libri aliqui, quo in casu specificatos quidem mox dimittant, censurae autem obnoxios revideant, et suam eatenus *patres* revisores in utroque casu faciant repraesentationem.

Libri priusquam publicae licitationi exponantur, et sub hasta vendantur, censurae librorum, sub directione Consilii *Locumtenentialis* ordinata subjiciantur, id ipsumque semper dum et quando hujusmodi licitationis librorum casus occurrit, observari jubetur. Quo in passu consimilis etiam Camerae Hungaricae insinuatio transmittitur.

(1760. 17. Martii) Instruuntur revisores, ut libri non tam ex inductiva perniciose consequentia, quam juxta clarum ideae damnatarum propositionum censoribus praescriptae tenorem rejiciantur.

(1760. 1^a Aprilis) Clementer committit Sua *Maiestas*, quatenus:

1^{mo}: a modo deinceps proprietarium cujuslibet in censuram assumpti libri, nominatenus designare;

2^{do}: tempus, quando nimirum quis liber ad censuram datus, et per ordinatos *patres* censores, in censuram assumptus, dein vero istiusmodi censurae opus praelibatae commissioni exhibitum sit, specificiter connotare, ac

3^{io}: tandem in consequentiam novissime *benigni* rescripti regii sub 31 recenter evoluti mensis expediti memoratos librorum censores eo instruere et monere noverit *excelsum* consilium, ut istiusmodi censuram non tam ex inductiva perniciose consequentia, quam juxta clarum ideae damnatarum [20] propositionum censoribus praescriptae, tenorem instituant, atque adeo a multifariis glossationibus absterneant, aut vero has in seorsivo scripto deducant, et censurali operi adjiciant.

(1760. 1^a Julii) Protocollum commissionis religionis, quo ordo circa librorum revisioni obnoxiorum negotium ultra normam, in puncto revisionis prius jam, et signanter 1^a Aprilis anni istius a Sua *Maiestate* praescriptum observandus proponitur.

1^{mo}: Ut libri omnes, qui medio tricesimarum ad *excelsam* cameram in deveniunt, ad domum consilii penes eorum elenchum, possessorum etiam nomina adnotata contentum mittantur.

2^{do}: Libros hos allatos, unus *excelsi* consilii concipista cum cathalogo, an iidem, et tot sint, combinet.

3^{io}: Idem cathalogum illum, seu specificationem, in vim quietantiae subscribat, recognoscendo quod tales die tali hic resignati sint.

4^o: Parem cathalogum per cameralem hominem subscriptum, in vim contraquietantiae idem concipista recipiat.

5^o: Idem penes praedictae per hominem cameralem subscriptae specificationis exhibitionem *domino* episcopo commissionis praesidi allatos libros insinuet, acceptaque dispositione eosdem libros ad *patres* censores transferri faciat.

6^{to}: Elenchi exemplar per cameralem hominem subscriptum, denuo per alterutrum patrum revisorum receptionem librorum cum dati connotatione quietatarum subscribi faciat.

7^o: Libri revisi, rursus eadem via per *patres* censores simul censuram, simulque libros exhibituros ad praesidem commissionis remittantur, factaque per eundem *excelsio* consilio relatione, innocui *excelsae* camerae si ab ea allati, erga recognitionem reddantur, per hanc demum possessoribus resignandi. Demum *patres* revisores omnes libros conformitate *benignarum* resolutionum regiarum *de dato* 23. *Februarii* 1747., et 1^a Aprilis 1760. in elenchum sumant, et taliter in tabellam [21] praescriptam redigant, ejusmodique connotationem omni trimestri, *episcopo* praesidi praesentent: quod autem libros rejectos attinet, non in seriem conscribantur, verum pro rejiciendis adinventi ad fornecem in domo *excelsi* consilii reponantur, clavi ejusmodi conservatorii penes *episcopum* consiliarium asservanda, et cum etiam apud Franciscanos, Capucinos, Trinitarios libri rejecti asserventur, hinc concipista *excelsi* consilii tales connotet, ad praefatum fornecem reponendos. Adjecit dein eadem commissio tabellam, pro ordine revisionis librorum deservientem his cum rubricis.

1 ^a Possesor libri	2 ^{da} Author libri	3 ^{tia} Locus et annus editionis	4 ^a Dies praesentationis, sive exhibitionis ad <i>excelsum</i> consilium ex tricesima, vel aliunde	5 ^a Dies assignationis <i>patribus</i> revisoribus
6 Resignatio per revisores <i>excelsio</i> consilio facta	7 Approbatus per revisores	8 Reprobatus per revisores	9 Approbatus per resolutionem regiam	10 Reprobatus per resolutionem regiam
11 Restitutus possessori per <i>excelsum</i> consilium, vel cameram vel tricesimam	12 Repositus ad solutum locum			

Protocollum hoc cum tabella voto *excelsi* consilii probatum 3^a Julii Suae *Maiestati* repraesentatum est.

(1760. 21. Julii) Puncta in mox fato commissionali protocollo contenta, velut provide, et omni cum circumspectione elaborata, ita et ipsam tabellam pro revisionis librorum ordine deservientem, Sua *Maiestas* clementer omnino approbat, et insuper benigne annuit, ut norma revisionis librorum, ad tenorem *benignae* resolutionis regiae, in anno 1747. die 23. *Februarii* emanatae, usque ulteriorem *benignam* ordinationem regiam observetur, atque adeo ipsam librorum censuram dioecetano *episcopo* Consilio *Locumtenentiali* Regio assidenti exhibendam, idem ipse revideat, suamque desuper opinionem non amplius [22] commissioni in negotio religionis ordinatae, ast ipsi duntaxat Regio *Locumtenentiali* Consilio eum in finem referat, ut abinde demum, cum humillimo voto Suae *Maiestati* repraesentetur, sed et praeterea clementer ulterius vult Sua *Maiestas*, ut in admittendis acatholicorum libris, discrete agatur, symbolici, Biblia, et cathchismi ipsorum non difficultentur, esto interdum leviora invectiva contineant, ipsum namque dogma illorum, jam est orthodoxae fidei invecitivum, neque liber caeteroquin bonus, ob praefationem per acatholicum concinnatam reprobandus.

NB: Praefatus ordo circa librorum revisionem die 4^a Augusti 1760. per Suam *Maiestatem Sacratissimam excelsae* camerae pro observatione communicatus est.

(1760. 8. Novembris) Sua *Maiestas* committit, quatenus attestata subscriptione, et sigillo praescripto munita, sive salvi passus literae in materia librorum censurae ordinatae commissionis aulicae, absque ulla ad praecedaneas intuitu unius, aut alterius libri non admittendi interventas dispositiones, et resolutiones regias reflexione omnimode respicere, inque hujus consequentiam non attentis etiam quibusvis circa hunc vel illum librum occurrentibus observationibus, eorundemque praedenotatis attestatis munitorum librorum proprietario suo extraditionem admittere, huicque dispositioni regiae humillimum morem gerere procuret Consilium hoc *Locumtenentiale* Regium.

(1763. 25. Julii) Est norma Viennensis cum primate, et archi-*episcopo* comite Barkoczy pro observatione *communicata*, cujus initium usque punctum 8^{vum} inclusive superius, ubi de impressione librorum agebatur, sub eodem anno descriptum habetur.

Sequitur itaque punctum 9^{num}:

9^{no}: quod librorum invectionem attinet, in tricesimis, ex libris quaestum facientes, item acatholici ex peregrinis provinciis redeuntes studiosi, accurate visitentur, libri ad proximos censores juxta observatam hucusque praxim revidendi deferantur, si nihil reflexionis suberit, illico domino restituendi.

[23] 10^{mo}: In censurandis autem libris constituti censores, sequentia observabunt: quae in Deum immortalem, ejusque sanctos, ac religionem orthodoxam, supremum ecclesiae caput, atque ecclesiasticae hierarchiae dignitatem impie, ac irreverenter, praeterea contra auctoritatem, ac legitimam potestatem *caesareo* regiam, ac personam, aliorum quoque principum, statumque publicum, atque ejus ministros indecenter, libere, et calumniose scripta sunt, praeterea libri scandalosi, ex quorum nempe lectione, mores, animique integritas in certum periculum conjicerentur, imprimi aut vero in regnum invehiri non admittantur; id eo omnes in Germanicis haereditariis provinciis Austriacis prohibiti libri, in regno quoque Hungariae pro talibus quemadmodum admissi, pro admissis habeantur.

11^o: Libri per censores rejecti conserventur, neque prius ad eorum destructionem procedatur, quam *caesareo* regia idcirco *benigna* elargiatur resolutio, atque ideo.

12^o: Censores supremo directori de rebus gestis accurate referant, cum de rejiciendis a typo libris agitur, cum provocatione ad *paragraphos* suspectos, judicium suum submittant. Qui dein tam approbatorum cathalogum appositio possessoris nomine, reprobationisque ratione, singulo trimestri Suae *Maiestati* repraesentent.

13^o: Quantum vero ad libros haereticos huiusque praescripta norma, deinceps quoque accurate observetur, nempe qui sine admixtione novarum haeresum, injuriarum, et scomatum ad tuendas solum professiones ipsorum conscripti sunt, permittantur, discreteque tractentur, maxime symbolici, cathechetici, et non tam ex inductiva consequentia, quam juxta clarum ideae damnatarum propositionum censoribus praescriptae, tenorem rejiciantur. Et haec sunt, quae in hoc negotio accurate observanda *Maiestas* Sua praefato archi-episcopo clementer praescripsit.

[24] (1765. 5^a Julii) Commissio religionis petit anteacta circa librorum revisionem ex archi-episcopali tabulario excipienda, et secum communicanda.

(1765. 17. Septembris) (1765. 25. Octobris) Protocollum, quo commissio religionis proponit *excelso* consilio expediens fore, ut norma, et modalitas anno 1760 elaborata, accurate observetur, censuramque librorum *patres* revisores *episcopo* praesidi *commissionis* religionis de tempore in tempus praesentent, eatenusque consuetum nomine *commissionis* hujus protocolli, cum depromenda circa singulum librum revisum opinione *excelso* consilio exhibeatur, Suae *Maiestati Sacratissimae* demum pro *benigne* resolutione regia submittendum, cui censurae librorum in originali, ne alias describentes scandalisentur, adnectat; item ut librorum revisores elenchos librorum confixorum ordine alphabetico conficiant, *commissioni* resignent, et imposterum quoque continent; hoc ipsum *patribus* revisoribus per decretum intimandum est.

(1765. 24. Decembris) *Excelsum* consilium *patribus* revisoribus decretum mittit, eos instruendo, ut post singuli libri designationem, ubique opinionem suam rationibus suffultam adjiciant, an librum talem possessori restituendum, aut vero configendum esse opinentur, quod si vero jam confixus esset, cum expressione ubi; qua die et anno confixus fuerit, addatur. Porro ut libri singuli proprietarius de nomine, et religione circumscribatur, item locus, et annus editionis aequae circa singulum librum adjiciatur.

(1766. 29. Martii) Erga repraesentationem 24. Decembris cum protocollo *commissionis* censuram quinduplicis ordinis librorum referentis, elargitur resolutio, ac una *Maiestatis* Sua *Sacratissima* normam censurae librorum *commissionis* Viennensis hic quoque observandam mittit, ea solum cum exceptione, ut cum Lutheranae, ac reformatae religionis exercitium per Hungariam [25] tolerantur, circa concernentes libros, alia congrua cynosura determinetur. Item ut enata in officio revisoratus vacantia a patre provinciali *Societatis Jesu*, vir omnigena literatura, non minus quam linguarum Germanicae, Gallicae, Hungaricae, Slavonicae notitia instructus, expetatur. Item, ut libri iudicio quoque revisorum innocentes, non expectata *benigna* resolutione regia cum praevia *excelsi* consilii notitia, et annuentia suis possessoribus illico restituantur. Denique tabella, quae per *commissionem* religionis elaborata, et per *Suam Maiestatem* ad ordinem in revisione librorum observandum in anno 1760 ratihabita, denuo accuratius a revisoribus observanda commendatur.

Norma autem censurae Viennensis hoc *benigno* mandato regio communicata haec in se continet: 1^o exponit personale *commissionis* istius

ex uno praeside saeculari, tribus assessoribus canonicis, ab eminentissimo cardinale propositis, tribus aliis assessoribus consiliariis aulicis, secretario uno, cancellista, et famulo commissionis, dein agenda commissionis subnectuntur his formalibus:

Praeses semel, aut etiam saepius in mense, si opus est, ad se commissionem convocat.

In sessione quilibet censorum, ordine facultatum de libris, quos noxios iudicaverit, debet referre, id est, loca offensionis indicare, et legere, ut liber, qui aut passim religionem, statum, vel mores, leviori, aut tantum hinc inde graviori autem modo offendit, pariter a caeteris quasi per transenam dijudicare, et omnibus consentientibus protocollo, ut damnandus inseri possit.

Innocuos autem, aut tales libros, qui solummodo paucissimis locis vulgo offendiculo esse possint, ita elaborati sint, ut eorum privationem amor doctrinae, et studium scientiarum ferre non valeat, quilibet censorum pro se statim admittere, et subscriptione sua munitos ad officium revisionis remittere potest, ut ibi personis, ad quas pertinent, per secretarium restituantur.

[26] Porro censoris est, ut scriptum aliquod typis mandandum simpliciter admittere, si illud praelo dignum, id est religioni, statui, aut moribus non contrarium iudicet, vel pariter rejicere, si quid contra in eo sit peccatum, non erit opus, ut primum de admissione vel rejectione talis scriptor ad commissionem referat, liberum enim auctori manet, si laesum se crediderit, ad eam in pleno querelas suas deferre.

Cum si morte alicujus, vel alio casu contigerit, ut libri, vel imagines aeri incisae publice sint vendendi, actio harum rerum sine praevia permissione censurae fieri non possit, opus est, ut de hac opera litteraria rite confecti cathalogi duplex, et consona copia secretario commissionis tradatur, unam harum iste suo praesentato munitam, ut in scriptis typo mandandis moris est, quatuor censoribus diversarum classium theologicae, philologicae, iuridicae, et politicae nempe ad hunc finem legendam praebeat, ut quilibet eorum libros suae classis, quos damnatos sciat, vel suspectos iudicet, in margine notatur. Alteram vero libris primum a censoribus notatis exhibitis, et delectis sua subscriptione solita cathalogus imprimi, et libri praeter detectos vendi possunt, munitam possessoribus tradat.

Secretarius bis in die locum revisionis prope telonium accedit, libros, ut et imagines aeri incisas, si qui noviter advenerint, ibi revidet, quos innocuos, aut a censoribus jam admistos viderit, statim possessoribus tradat; illos

autem, qui aut damnati aut novi, vel aliter suspecti sint, retinet, retentos, si qui damnati sint, servat, in proxima sessione sacrandos, qua enim peracta, praelectis eorum titulis in folio separato, una cum nominibus possessorum notatio libri destruuntur, si novi autem non noti, aut suspecti sunt, eos inter censores, secundum classis tenores distribuit, in charta titulis, die, et anno notatis, et persona ad quam pertinent, nominata, cui reduces ex censura admissos restituit, damnosos [27] pro sessione servat, ut censore ibidem referente liber ab omnibus dijudicari, admitti, aut rejici possit. Necesse pariter est, ut libri, qui vel a censore, vel in consessu fuerint admissi cathalogo, quem admissorum nominamus, inferatur.

Scriptorum omnium *titulos* vide supra, ubi de imprimendis libris agebatur, sub eodem anno 1766. die 29. Martii.

(1766. 21. Maji) Mandatum regium, ut siquidem rejectos libros reponere, et colligere Viennae consuetum non esset, sed libri hujusmodi in publica sessione destruantur, ideo id ipsum et Posonii circa rejectos libros, nec non dogmatica acatholicorum opera, si ad catholicos possessores pertinerent, deinceps observetur.

(1767. 30. Januarii) Protocollum commissionis religionis, circa normam seu cynosuram ulteriorem revisionis librorum celebratae assumendo bina *benigna* manadata regia, unum *de dato* 29. Martii 1766., aliud *de dato* 21. Maji 1766. censet commissio haec *patribus* revisoribus pro observatione communicanda, et praeterea disponendum, ut patres revisores libros tam rejectos, quam rejiciendos ultra tabellarem illam connotationem, imposterum per ipsos censores cum directe libri ex tricessima, aut aliunde ad eos deferantur, faciendam, juxta clementem ratihabitu anno 1760. eatenus ordinem, singulo trimestri, praesidi commissionis religionis exhibendam praeterea in seriem, seu cathalogum alphabeticum post singuli anni effluxum redigant, in relationibus dein suis *patres* revisores praepremis libri singuli ad censuram assumpti locum, et annum editionis expriment, tum proprietarii nomen, et cognomen, ac religionem, postmodum vero ex scriptis conformitate ideae pro motivo confixionis deservientibus *paragraphis* desuper etiam, an ejusmodi liber configendus, an possessori restituendus sit, opinionem suam cum ratione adjiciat, si autem jam praevis confixus erat, locum, diem, et annum confixionis exponant. [28] Quoad autem restitutionem librorum innocuorum censet commissio, ut cum unius etiam, alteriusve diei mora possessoribus dispendiosa sit, libri hujusmodi innocui

per commissionis praesidem e numero praelatorum et cleri constitutum, ante praescriptum etiam *excelsi* consilii erga faciendam attamen in proximo consilio eatenus relationem sub spe rati possessoribus raddantur, patres interim revisores penes alios, justo sub censuram venientes, horum etiam restitutorum specificationem, modo superius praescripto in serie exponant, ac praeterea eas generali tabellae quoque inducant; caeterum normam communicatam Viennensem hic observari, uti et *benignum* mandatum regium 1760. 21. Julii in eo, ut libri acatholicorum symbolici, Biblia, et catechismi ipsorum non difficultentur, esto interdum leviora invectiva contineant; quod libros imprimendos tangit, cum juxta *benignas* resolutiones regias theologici quidem, et morales per diaecesanos, politici autem per saeculares jurisdictionatos magistratus communiter revideri soleant, id ultra disponendum videtur commissioni, ut nullus typographorum librum absque scripta facultate libro praemittenda seu imprimere, seu reimprimere ausit, immo neque versus, cantiones, aut quoque alia absque eo, quin si quae cum permissione impressum habeatur, typis mandare valeat; item ut submissio neo impressorum librorum in tribus exemplaribus denuo a typographis exigatur, quos submissos denuo revisores inspiciant, num necessariis requisitis praediti sint, rejecti porro libri, vi *benigni* mandati regii supracitati, in commissione, aut per commissionaliter exmittendum instruantur, uti et illi, qui a pluribus annis rejecti hic asservantur, de reliquo non tantum ad tricesimas delatos libros, sed etiam ibi repertas imagines aeri incisas, scandalosas, detinendas fore, quemadmodum etiam librorum ejusmodi, ac imaginum publicam venditionem apud bibliopolas quoque, aliosque venditores prouti et in licitationibus publicis impediendam protocollum istud 23. Februarii pari excelsa consilia voto comitatum Suae *Maiestati* repraesentatum est. [29]

(1767. 3. Maji) Statuit Sua *Maiestas*, et districtim praecepit, ut possessores librorum, qui seu amplectendo damnato libertinismo, ac indifferentismo viam quodam modo sternunt, seu ipsis mysteriis fidei illudendo, religionem explodunt, tales labores intra spatium octo dierum a die publicationis praesentium computandum ipsi comburere teneantur, siquidem casu in contrario, quaecunque persona demum illa fuerit, apud quam libri ejusmodi deprehendentur, aut quae alios quospiam tales libros habere, vel saltem legere, vel plane huic damnabili errori adhaerere certo sciverit, eosque

actutum non indicaverit, ipso facto illi, qua ipsi huic sceleri implexi, puniendi venient, paenae absque ullius sexus discrimine sit subjicienda.

(1767. 4. Julii) Mandatum regium: ne libri acatholici, nisi vi officii sui, uti sunt doctores, theologi, concionatores, et his similes, illorum necessitatem habentibus concedantur, et extradentur. Ac etiam nullus liber ex illis, si ii crassiores, criminationes, et laesiones continerent (inter quos autem leviora convitia, quae ex ipsa essentia controversorum fidei punctorum promanant, uti essent superstitiones, lucri cupido, vis conscientiarum etc[?] censenda non sunt) acatholicis extradentur.

(1767. 17. *Septembris*) *Excelsum* consilium repraesentat Suae *Maiestati*, nullam ad protocollum commissionis religionis, circa revisionem librorum die 23. *Februarii* anno hoc repraesentatum supervenisse resolutionem regiam, quare denuo hanc pro commissionis, et patrum revisorum directione, clementer elargiendam petit.

(1767. 26. *Septembris*) Erga mox fatam repraesentationem Sua *Maiestatas Sacratissima* clementer rescribit, se existimasse, protocollum illud 23. *Februarii* nihil alioquin difformis, a praescripta norma Viennensi continens, sibi saltem ad statum notitiae submissum esse, ac ideo nihil rescripsisse. Nunc autem cum petatur resolutio, clementer committit, ut in conformitate repraesentati ejusdem protocollum, et deductorum ibi punctorum commissio religionis instruat.

(1767. 8^{va} *Octobris*) *Excelsum* consilium magistratui civitatis Poseniensis injungit, ut patribus revisoribus pro peragendis officinarum librariarum visitationibus requisitam assistentiam [30] praebeat, et dum, et quando semet insinuaturis patribus revisoribus magistratualem quempiam e sui gremio exmittendum adjungat.

(1767. 8^a *Octobris*) *Excelsum* consilium patribus revisoribus reflexe ad prius decretum suum *de dato* 17. *Septembris* anni istius committit, ut librorum quaestorum officinas seu tabernas librarias, an non in iisdem libri prohibiti inveniantur, ac venum exponantur, statis temporibus, et nundinarum publicarum tempore sedulo visitent, ac pro tempore suas relationes faciant, pro notitia autem nunc ipsis intimatur, apud civitatem Poseniensem ordinatum esse, ut magistratus ipsis visitantibus assistentiam praebeat, ac unum e gremio sui magistratualem ipsis adjungat.

(1767. 9^a *Decembris*) *Benignum* mandatum regium, quo denuo libri prohibiti proprietario restitui vetantur, sed extirpati mandantur, ideoque

quovis mense specificatio hujusmodi librorum extirpatorum cum denominatione proprietariorum Suae *Maiestati* mittenda, ac per singula norma, quam Viennensis librorum censura sequitur, in regno etiam Hungariae observanda praecipitur; caeterum si libri, qui alias extirpandi forent, ad bibliopolam spectarent, ab *excelso* Consilio *Locumtenentiali* Regio obsignentur, utque extra ditiones *caesareo* regias mittantur, curetur.

(1769. 29. Novembris) (*7^a Decembris patribus* revisoribus decretaliter intimatur) *Benignum* mandatum regium, ut bulla in Coena Domini dicta in caesareis regis ditionibus nunquam recepta, et in jura summorum imperantium iniqua, ad evitandas quidem ingratas sequelas, cathalogo librorum prohibitorum non imprimatur, sin autem aliqua exemplaria in quocunque demum idiomate, vel ab aliquo bibliopola inveherentur, vel apud privatum deprehenderentur,

in 1^o: Casu illa extra ditiones *caesareo* regias remittantur;

in 2^{do}: Casu, a censura librorum in instanti penitus suprimantur; econtra libri, qui erroneas, et *Maiestati* principum detrahentes propositiones in illa bulla contentas defenderent, cathalogo librorum prohibitorum omnino inserantur.

(1769. 27. Octobris) (In *excelso* consilio die 2^{da} Novembris lectum et approbatum.) Reinsinuatum *excelsae* Camerae Regiae Hungario aulicae circa educationem e Regno Hungariae ad partes exoticas librorum confixorum ad bibliopolas spectantium, ut proprietarius talium librorum stationem exitus tricesimalem semper nominet, demi super iisdem libris, sigillo *excelsi* consilii.

[31] *Locumtenentialis* regii minuendis, schaedam tricesimalem attestatoriam proprietarius in hujate officio tricesimali accipiat. Regiae vero camerae non solum specificatio confixorum librorum per insinuatum ab *excelso* Consilio *Locumtenentiali* Regio communicetur, verum etiam exitus, statio tricesimalis limitropha nota reddatur, ut penes solam talem stationem necessaria per cameram indilate disponi queant.

(1769. 21. Aprilis) *Benignum* mandatum regium, quia Helveticae religioni addicti aequae ac Lutherani in Regno Hungariae tollerarentur, libri proinde de haeterodoxa ejusmodi doctrina tractantes indistincte prohiberi, aut configi haud possent, sed ii duntaxat eliminandi essent, qui contra statum perniciose in se continent principia, bonis moribus adversarentur, et ipsi genuino tolleratarum religionum dogmati conformes non essent, aut impiis etiam ad

ipsam doctrinam non spectantibus calumniis, scomatibus, aut imprecationibus contra veram religionem scaterent, ideo illi solum, qui supra recensitorum vitiorum notam incurrunt, confiscantur.

(1770. 17. Septembris) (1770. 1^a Octobris circulariter, et Camerae Regia Hungarico aulicae.) *Benigna* resolutio regia, qua mandatur, ut universim Judaeis omnis quaestus cum libris etiam antiquis, et tritis, in licitationibus fors emptis Christianorum taliumque librorum inventio ex alienis provinciis, ipsis sub confiscatione interdicatur.

(1771. 13. Septembris) *Benignum* mandatum regium, ut libri quidem tam in Viennensi prohibitorum librorum cathalogo comprehensi, quam et alii Viennae confixi, et penes *benigna* rescripta regia hactenus communicati, vel in futurum communicandi hic Posonii detineantur; residui attamen omnes fundatae alias reflexioni obnoxii, ut ut jam antea rejecti, et penes subsecutam *benignam* resolutionem regiam Posonii confixi, in cathalogo tamen Viennensi librorum prohibitorum, vel in *communicatis*, aut in futurum per Suam *Maiestatem* *communicandis* consignationibus non comprehensi, diligenter praevis hic revideantur, et subjunctis singillative rationibus revisorum, ex quibus rejiciendi censentur, in specie Viennam submittantur, per Viennensem aulicam commissionem *caesareo* regiam uberius revidendi. Denique ut *commissio* in suis protocollis, et id exprimat, cujusnam status, et religionis sint talium librorum possessores.

[32] (1772. 25. Martii) *Benignum* mandatum regium, quatenus librorum revisores Posonienses, et ipsa *commissio* eatenus ordinata instruat, ut

1^o: elenchum, seu consignationes librorum in revisionem depositorum, et rejiciendorum omni mense submittat.

2^{do}: ut libros secundum ordinem 4. facultatum tam revisores in separatas relationes suas, quam et *commissio* in distincta protocolla referat, et hac ratione dehinc Suae *Maiestati* repraesentari faciat.

3^{io}: Viennae jam prohibitos ex solita revisorum relatione, et *commissionis* protocollo omittat. Demum

4^o: titulos librorum, et locos offendentes, in illo idiomate, in quo liber scriptus, vel typis expressus notet, locos autem minoris momenti tantum citatione paginae submittat.

(1772. 25. Maji) *Benignum* mandatum regium, quo prius datae *patribus* revisoribus instructiones recapitulantur, ac una praecipitur, ut iidem libros toleratam fidei doctrinam concernentes, in quantum puram Calvinii, aut Lu-

theri fidei doctrinam absque convitio in veram catholicam religionem pertractent, consortibus fidei sine distinctione simul etiam doctis, et adversariis theologis ad argumentandum, et refutandas objectiones, sed erga licentiam scriptotenus datam, absque omni dubio indulgeant... et in summa quemvis librum, de quo bibliopola se Viennae typis dato cathalogo vel novalibus legitimare potest, absque deliberatione extradent.

(1772. 2^{da} Novembris) Pro sublevando labore revisionis Viennensis censura librorum Poseniensis eo instruat, ut

1^o: in futurum illos libros tam acatholicos, quam alios, qui Viennensi cathalogo librorum prohibitorum jam inserti sunt, non amplius censurae Viennensi, Viennam submittat, neque cuiquam extradet, adeoque finem in hunc praedictum cathalogum prohibitorum Viennae impressum, censores diligenter inspiciant.

2^{do}: Omnia opera acatholica, quae Christianam religionem in nullo essentiali articulo impugnant, nec scomata nimis gravia continent, Lutheranis et Calvinistis sine requisitione ulteriori eadem censura indulgeat.

[33] 3^{io}: Solummodo illos libros, qui necdum cathalogo prohibitorum inserti sunt, et religioni Christianae in gravi materia adversantur, aut expresiones alias offendentes continent, Viennam submittat. [34–40: üres lapok]

[41] Ex omnibus hucdum recensistis idealibus *benignis* resolutionibus regiis, et ratihabitis protocollis subnectitur

Instructio

Commissioni huic in negotio censurae librorum operandi deservitura, et quidem

Circa impressionem librorum

1^{mo}: Nemini typographorum artis suae exercitium in Hungaria admittendum, nisi speciali privilegio, et concessione regia provisus sit, quo circa civitates, ubi tales essent, typographi invigilent, et inquirant.

2^{do}: a. (a. vide *benignam resolutionem regiam* anno 1730. 25. Maji) Typographi cuncta a se typis mandanda. b. (b. 1726. 2. Augusti) etiam pagellas. c. (c. 1761. 27. Aprilis) et privata scripta. d. (d. 1751. 25 Junii) uti et calendariorum appendices, e. f. (e. 1756. 22. Januarii) verbo omnia seu imprimenda, seu reimprimenda censurae, et quidem in theologicis, et moralibus constitutorum a dioecessanis *episcopis* revisorum 1754. 1^a Januarii, in politicis vero jurisdictionati loci magistratus g. (g. 1726. 2. Augusti, 1754. 14. Maji) praevis submittere debent.

3^{io}: Jurisdictionatus tamen loci magistratus revisiones suas circa libros ad *excelsum* Consilium *Locumtenentiale* Regium pro ulteriori revisione mittere tenetur; *excelsum* vero consilium in gravioribus eatenus occurrentibus materiis ante impertiendam desuper opinionem, idcirco suam, *Maiestati Sacratissimae* submittat. h. (h. 1730. 25. Maii)

4^{to}: Imprimendus liber, aut quodcunque aliud folium in duplici manuscripto revisioni tradatur, unum post revisionem cum licentia, aut inhibitione, impressionis exhibitori restituendum, et licet impressionem libri, seu folii *episcopus* praeses commissionis propria autoritate negare possit, i. (i. 1766. 29. Martii norma *Viennensis*) concedere tamen sine scitu, et annutu *excelsi* consilii non audeat.

5^{to}: Quo obtento, licentia impressionis manuscripto adnotanda fiat verbo: Imprimatur. Prohibitio autem exprimatur verbis, Non licet, cum anni, dieique annotatione, praesidisque *episcopi* subnotatione, utroque vero casu concessionis, vel prohibitionis unum exemplar ita subscriptum exhibitori extradetur, aliud pariter signatum in archivo *excelsi* consilii asservetur. k. (k. norma *Viennensis*)

[42] 6^{to}: Porro facultas imprimendi librum ab *excelso* consilio extradanda censetur hac forma: Conceditur facultas librum, cui titulus (T. T. hic argumentum, et author libri exprimendus) testimonio revisorum regionum nil contra religionem (haec vox exmittenda, si acatholicus de catechesi, aut alia de sua confessione doctrina tractans liber sit) statum publicum, et bonos mores in se continentem typis mandandi: Datum Pisoni ex Consilio *Locumtenentiali* Regio Hungarico die T. mense T. praeses N. N. secretarius N. N.

7^{mo}: Talem dein facultatem libri imprimendam typographus pro sua legitimatione diligenter conservet. l. (l. norma *Viennensis*)

8^o: Typographus acceptam facultatem *excelsi* consilii a capite libri per extensum imprimat, in omnibus attamen impressionibus foliorum, ac pagellarum, saltem praemittat haec formalia: Cum licentia superiorum. m. (m. *protocollum commissionis* 1767.)

9^o: Typographi in omnibus, adeoque minoribus etiam quibusvis foliorum, ac pagellarum impressionibus, locum, nomen, et cognomen suum exprimant. n. (n. 1761. 27. Aprilis)

10: Librorum vero impressorum tria exemplaria *excelso* Consilio *Locumtenentiali* Regio singulo semestri transmittantur. o. (o. 1726. 8. *Februarii*) Ex quibus unum compactum apud *excelsum* consilium asservatur, reliqua duo in cruda *Suae Maiestati* submittantur. p. (p. 1763. 31. *Januarii*)

11^o: Ultra *benignarum* resolutionum, aliorumve actorum, negotium religionis tangentium, impressio absque scitu et consensu *excelsi* Consilii *Locumtenentialis* Regiis *Suae Maiestati* semper praevis repraesentando inhibetur. q. (q. 1757. 10. *Junii*)

12^o: Typographiae, et officinae librariae nonnunquam visitentur, r. (r. norma *Viennensis*) cum scitu praesidis, aut *epscopi* consiliarii, per patres revisores, cum adjungendo sibi uno e gremio magistratus istius civici. s. (s. *decretum excelsi* consilii 1767. 8. *Octobris*) [43–48: üres lapok]

[49] Circa inductionem, et educationem librorum sine censura

1^{mo}: Ad promovendam in Regno Hungariae rem litterariam, admittitur librorum inductio, quin in finitimis tricesimarum stationibus detineantur, et ad viciniorem censuram inveniuntur. Nihilominus officinae librariae, et bibliopolae, ita circumscribendi, ut librorum suorum catalogum ante distractionem constitutis in tali loco librorum revisoribus exhibere, immo si isti unum, vel aliud exemplar illorum habere velint, illud quoque dare, et cum reliquorum exemplarium distractione usque approbationem obtinere debeant, a. (a. 1730. 25. *Maji*) idque sub poena confiscationis, ad quam exequendam magistratus civicus assistat. b. (b. *decisum excelsi* consilii 1747. 19. *Julii*)

2^{do}: Libri schismatici semper irrevisi mittantur *Viennam* consignandi deputationi *Illyricae* pro revidendorum revisione c. (c. 1754. 28. *Octobris*) si tamen majori numero libri pro iisdem *Graeci* ritus non unitis in regnum illati

fuerint, eorum non omnes, sed singulorum librorum unum exemplar Viennam medio consilii mittatur, reliqui autem ipsis extrudentur. d. (d. 1757. 27. Augusti)

3^{io}: Libri ex provinciis exteris inducti, qui in Viennensi censura revisi, et approbati sunt, per censores etiam Posonii constitutos, ubi super ejusmodi approbatione ex authentico testimonio constiterit, pro approbatis habeantur e. (e. 1757. 1^a Julii) non absimiliter.

4^{io}: Libri Vienna Posonium allati, de quorum peracta ibi revisione, mediante testimonio censurae authentico constiterit, in involucra sigillo censurae Viennensis jam noto obsignata fuerit, sine mora dimitti debent, si vero testimonium tale revisionis exhiberetur, involucrum tamen sigillo censurae obsignatum non esset, tunc illud duntaxat diligenter inspiciatur, an non alii, quam in testimonio specificentur, aut specificatis nefors admixti sint? Quo casu specificati mox dimittendi, alii autem reperti, censurae obnoxii revidendi, et utroque casu per patres revisores repraesentatio praesidi commissionis domino episcopo facienda. f. (f. 1759. 22. Februarii)

[50] 5^{io}: Attestata censurae librorum aulicae Viennensis, subscriptione, et sigillo munita, sive salvi passus litterae inde emanatae, adeo observandae, ut absque ulla ad praecedaneas intuitu unius, aut alterius libri non admittendi interventas resolutiones regias reflexione et tanto minus aliis occurrentibus fors observationibus attentis, libri omnes in attestatis hujusmodi denotati, proprietario suo illico extrudentur. g. (g. 1760. 8. Novembris)

6^{io}: Si libri confixi, qui alias extirpandi forent, ad bibliopolam spectent, isque tales, non hic vendere, sed ultro evehere desideret, eorum libri tales ab *excelsa* Consilio *Locumtenentia* Regio obsignentur, atque ut extra ditiones *caesareo* regias mittantur, curetur. h. (h. 1767. 9. Decembris)

Quare occurrente tali casu *excelsae* Camerae Regiae Hungariae aulicae facta talium assignatio per *excelsum* Consilium *Locumtenentiale* Regium insinuat eo fine, ut necessariae in finitimis tricesimis regibus idcirco fiant dispositiones, indeque de hujusmodi librorum, seu involucrorum sine sigilli *excelsi* Consilii *Locumtenentialis* Regii violatione, secuta evectione submittantur informationes.

7^{mo}: Si libri ad rationem Graeci ritus unitorum allati fuerint, iidem non per hujusmodi revisores, sed per episcopum Graeci ritus unitorum Munkácsiensem praescripto modo revideantur, cujus censura per *excelsum* Consilium

Locumtenentiale Regium Suae Maiestati cum opinione repraesentetur. i. (i. 1757. 27. Augusti)

[55] Circa censuram, et revisionem librorum

1^{mo}: Libri, in quantum de theologicis, et moralibus materiis tractant, per revisorem idcirco a dioecesano *episcopo* constitutum indilate revideantur, politicos vero libros jurisdictionati locorum magistratus in censuram sumant, et si qui ob notatos quondam naevos detinendi censentur, id semper Suae Maiestati medio *excelsi* consilii repraesentetur. a. (a. 1731. 20. Maji)

2^{do}: Ad prosequendum revisionis opus, benigne mandat *Sacratissima* Sua *Maiestates*, ut duo e Societate Jesu viri religiosi omnigena literatura non minus quam linguarum Germanicae, Gallicae, Hungaricae, Slavonicae notitia instructi b. (b. 1766. 29. Martii) ab ejusdem societatis superioribus, pure ad munus hoc, absque ulla alia obligatione, sub directione *archiepiscopi Strigoniensis*, aut eo absente *episcopi consilarii* obeundum, deputentur, qui libros non solum dogmaticos, sed etiam politicos, et in aliis materiis indifferentibus ab acatholici conscriptos (revisione magistratus civici circa tales abrogata) accurate revideant, et si quid contra statum publicum, bonos mores, aut alias scandalosum religioni catholicae, principibus catholicis, aut clero injuriosum scriptum reppererint, id punctatim cum adnotatione libri, capituli, et numeri marginalis per extensum ipsorum authorum verbis c. (c. 1753. 12. Martii) excerptant, et in scripta referant, ac dein *archiepiscopo Strigoniensi* vel eo absente *episcopo consiliario* de tempore in tempus consignent, d. (d. 1747. 23. Februarii) id una

3^{ti}^o: Statutum tenentes librorum censuram, non tam ex inductiva perniciose consequentia, quam juxta clarum ideae damnatarum propositionum censoribus praescriptae tenorem instituendam fore, atque adeo a multifariis glossationibus abstineant, aut vero si placet, tales in seorsivo scripto deducant, et censorali operi adjiciant. e. (e. 1760. 1. Aprilis)

4^o: Qui ultro instruendi, ut in praesentationibus suis *episcopo consiliario*, aut superius *numero 2^{do}* attactum exhibendis.

1^o: Proprietarium cujuslibet libri ad revisionem assumpti nominatenus designent, adnotando etiam cujusnam religionis sit?

[56] 2^{do}: Tempus ad revisionem dati libri adnotetur. f. (f. 1760. 1. Aprilis)

3^{tio}: Titulus libri, author, ejusque religio cum loco, et anno item formatae editionis describatur.

4^{to}: Observati errores, et naevi, modo supra *numeris* 2^{do} et 3^{tio} notato recenseantur.

5^{to}: Post hoc opinionem suam rationibus suffultam paucis adjiciant: an librum talem configendum, vel possessori restituendum opinentur. g. (g. 1765. 24. *Decembris*, decretum *excelsi* consilii)

6^{to}: Ejusdem authoris opera ordine continuato referant.

7^{mo}: Hujusmodi repraesentationibus suis cum censura, non immisceant alios licitos, et toleratos, aut certo prohibitos, et confixos, sed solum quos configendos et prohibendos censent, nec de eorum prohibitionem constat, aut saltem ob libri alias inter confixos numerati novam, correctamve editionem dubium concipiunt.

8^{vo}: Denique repraesentationibus suis semper datum mensis, diei, et anni apponant suumque nomen subscribant.

5^{to}: Hae *patrum* revisorum repraesentationes usu jam recepto commissioni religionis per *episcopum* consiliarium exhibentur, ac desuper protocollum commissionale conficitur, in quo exponatur, quisnam *patrum* revisorum relationem qua die praesentaverit, eaque littera aliqua signata protocollo advolvitur. Dein ordine numerico librorum tituli cum loco, anno, et forma editionis, nomen etiam, et religionem possessoris, ad quem liber spectare dicitur, adnotando, in protocollum transcribuntur, et cujusvis libri defectus, et errores praecipue aut si aliud, quid in favorem libri observatum exprimitur, postmodum in votum commissionis *patribus* revisoribus conforme, vel disforme subjuncta, vel praemissa ratione succincte deponitur, finita unius revisoris repraesentatione, fit progressus ad ulterius revisoris, littera (*verbi gratia*) *benignam* signatam, ex hac pariter librorum tituli cum censuris notabilioribus exscribuntur, votumque commissionis additur, omnibus autem taliter absolutis concluditur, protocollum Suae *Maiestati* pro suprema revisione, et *benigna* resolutione humillime submitendum. h. (h. 1765. 13. *Septembris*, protocollum *commissonis*)

[57] 6^{to}: Ne possessoris librorum praecipue in itinere constituti, ob revisionem moras cum expensis nectere cogantur, omnes libri seu ex tricesima, seu aliunde advenientes, directe ad *patres* revisores deferantur, quibus etiam ea, qua secretarius censurae Viennensis pollet, autoritas tribuenda nempe: ut recens allatos libros, quos innocuos, aut per censuram

jam alias admissos noverint, statim facta solum eorum in protocollum domesticum adnotatione possessoribus tradere audeant. i. (i. 1766. 29. Martii norma *Viennensis*) Si autem multi ad semel adferantur libri, ad horum accelerandam in commodum praecipue possessoris revisionem, ipse possessor, aut hujus commissionatus inviatur, ad cathalogum talium exhibendum, aut si paratum non haberet, quo citius propriis expensis curandum. Qui tamen cathalogus cum libris diligenter combinandus erit.

7^{mo}: Pro majori securitate, et ipsius censurae commodo bonoque servando ordine, singulus *patrum* revisorum sequentia habeat protocolla.

1^{mum}: Librorum innocuorum, et statim restitutorum has rubricas continens.

Possessor et ejus religio	Author libri et materia	Locus, annus editionis	Allatus ad revisionem die, mense	Restitutus die, mense
---------------------------	-------------------------	------------------------	----------------------------------	-----------------------

2^{dum}: Librorum cum censura repraesentatorum rubricae.

Possessor et ejus religio	Author libri et materia	Locus, annus editionis	Allatus ad revisionem die, mense	Repraesentatus episcopo praesidi die, mense	Per resolutionem regiam	
					Admissus die, mense	Confixus die, mense

3^{tum}: Ob notam confixionem destructorum.

Possessor et ejus religio	Author libri et materia	Locus, annus editionis	Jam antea confixus		Allatus ad revisionem, mense die	Destructus per commissionem die, mense, anno
			Viennae anno, die, mense	Posonii anno, die, mense		

[58] His protocollis omnes libros ad revisionem allatos praeafati patres inscribant, et jam unum jam aliud pro rei exigentia episcopo consiliario praesidi, in vicem relationis adferant, qui Protocollo innocuorum, et ideo

statim restitutorum visam in margine apponant. Protocollo autem destructorum addet *episcopus* consiliarius diem, et annum, quo per commissionem lacerati sunt, ut ita patres revisores, multum alioquin occupati, a pluribus scriptitationibus subleventur, ac nonnisi in distinctis foliis representationes suas super configendis, aut prohibendis libris, norma hucdum observata facere debeant. Nihilominus praeter memorata tria protocola, unum adhuc librorum confixorum quivis revisor debeat catalogum ordine alphabetico instructum k. (k. 1765. 13. *Septembris*, protocollum) his cum rubricis.

Catalogus librorum confixorum

Author libri	Argumentum libri	Locus et annus editionis	Confixus ad representationem	
			Viennensem die, mense et anno	Pozoniensem die, mense et anno

8^{vo}: Cum autem singulo mense confixorum, et per consequens destructorum elenchus Suae *Maiestati Sacratissimae* submitti praecipiat. l. (l. 1767. 9. *Decembris*) Ideo actarius commissionis religionis, aut in hujus defectu, alius cancellista *excelsi* consilii ex protocollis patrum revisorum praerecensitis elenchum talem conficiat, commissio dein *excelso* consilio praesentet, Suae *Maiestati* submitendum.

9^o: Ad facilitandam simul, et accelerandam librorum revisionem, patres revisores non teneantur libros maxime bibliopolarum in cruda sub censuram sumere, sed tales libri censurandi, et si non perfecte compacti ad minus compositi sint, ut Viennae, et in aliis censuris confuetum.

10^o: Libri priusquam publicae licitationi exponantur, et sub hasta vendantur, censurae sub directione *excelsi* consilii ordinatae, subjiciantur. m. (m. 1759. 19. *Martii*) Ac ideo opus est, ut ante publicam horum venditionem catalogus omnium in duplici consona copia, praesidi commissionis ac per hunc *excelso* consilio tradatur, et si aliqui prohibiti reperirentur, hi configantur, et ex catalogo deleantur, [59] ac demum catalogus ita correctus cum inscriptione Libri praeter deletos vendi possunt. Et praesidis

subscriptione munitus possessori extradetur. n. (n. 1766. 29. Martii, norma Viennensis)

11^o: Imagines etiam aeri incisae licitari, et per auctionem vendi non possunt, sine praemissa censurae revisione, et ab *excelso* consilio obtenta facultate. o. (o. ibidem)

12^o: Praeterea bibliopolarum, et aliorum cum libris quaestum exercentium fornices, officinae, et tabernae librariae statis temporibus visitentur, maxime nundinarum tempore etiam cum assistentia magistratuali. p. (p. 1767. 8. *Octobris, ex consilii decretum*)

13^{io}: Imagines quoque scandalosae aeri incisae, seu in tricesima, seu apud bibliopolas, aut alios quoque quaestores reperta, detinenda taliumque venditio omnino praecavenda. q. (q. 1767. 30. *Januarii, protocollum commissionis*)

14^o: Libri de quorum prohibitione nullum dubium adeoque certo confixi non reponantur, sed in publica sessione commissionis destruantur, et lacerentur. r. (r. 1766. 21. *Maji* item 1767. 9. *Decembris*)

15^o: Immo et dogmatica acatholicorum opera, si ad catholicos possessores pertinerent, pariter ut confixi tractentur, ac destruantur. s. (s. 1766. 21. *Maji*)

16^o: Porro libros, qui seu amplectendo damnato libertinismo viam quodammodo sternunt, seu ipsis mysteriis fidei illudendo religionem explodunt; tales et si ad revisionem non allatos, sed occulte tentos, ipsi possessores comburere obligentur, sub gravi animadversione regia, quam etiam incurrunt qui tales subinde rescitos, et cognitos non deferunt. t. (t. 1767. 3. *Maji*)

17^{mo}: Libri Viennae approbati, ubi de authentico super ejusmodi approbatione testimonio u. (u. 1757. 23. *Decembris*) constiterit, pro approbatis Posonii etiam habeantur. Vice versa, Viennae rejecti, et prohibiti, hic quoque pro talibus habeantur. v. (v. 1757. 1^a *Julii*)

18^o: Ac universim norma censurae librorum commissionis aulicae Viennensis per Suam *Maiestatem* cum *excelso* consilio ea de causa communicata, et in instructione hac commissionis punctatim suis locis proposita, hic Posonii etiam pro idea assumatur, ea solum cum exceptione: ut quoniam Augustanae, et Helveticae confessionis exercitium per Regnum Hungariae toleretur, circa hujusmodi libros peculiariter praescripta observentur. x. (x. 1766. 29. *Martii*) quae ad haec fere puncta reducuntur. [60–64: üres lapok]

[65] Circa libros acatholicos observanda

1^{mo}: Bibliorum aliorumque librorum acatholicorum inductio, absque praevia eorundem, num prioribus editionibus ipsorum sine conformia revisione, vetatur a. (a. 1731. 7. *Januarii*) quare

2^{do}: Biblia per acatholicos in vernaculam translata, aut ipsis curantibus edita, ea solum in sortem non admittendorum veniant, quae a primaevis per ipsos factis editionibus discrepantia observata fuerint. b. (b. 1747. 22. *Augusti*)

3^{io}: In librorum acatholicorum revisione attendendum an non aliquid statum publicum feriens, vel alias etiam scandalosum, aut prioribus Augustanae, vel Helveticae confessionis editionibus repugnans, aut ipsi genuino toleratarum confessionum dogmati minus conforme c. (c. 1769. 21. *Aprilis*) in se contineant? Tale autem specificè per revisorem exponatur, Suae *Maiestati* cum opinione *excelsi* consilii repraesentandum. d. (d. 1740. 29. *Decembris*)

4^{to}: Neque libri acatholici cum modestia, et sine ullis in magnam Dei Matrem, et sanctos ac ecclesiam Romano-Catholicam, ejusdemque pontificem, et clerum, principes item catholicos injuriosis scomatibus, nec non fidelem populum impropriis, et calumniis, ad tuendas solum professiones ipsorum, sineque novarum haeresum permixtione conscripti sunt, arceantur. e. (e. 1747. 23. *Februarii*)

5^{ta}: In admittendis acatholicorum libris discrete agatur, symbolici, Biblia, et cathecismi ipsorum non difficultentur, esto interdum leviora invectiva et convitia, quae ex ipsa essentia contraversorum fidei punctorum promanant, uti essent superstitiones, lucri cupido, vis conscientiarum etc[?] f. (f. 1767. 4. *Julii*) contineant; ipsum namque dogma illorum jam est orthodoxae religioni invectivum g. (g. 1760. 21. *Julii*) econtra.

6^{to}: Nullus liber ex illis, si ii crassiores, criminationes et laesiones continerent, acatholicis extradetur. h. (h. 1767. 4. *Julii*)

7^{mo}: Liber caeteroquin bonus ob praefationem per acatholicos concinnatam non est reprobandus. i. (i. 1760. 21. *Julii*)

8^{vo}: Acatholici libri, catholicis non concedantur, nec extradentur, nisi vi officii sui, uti sunt, doctores, theologi, concionatores, et his similes talium necessitatem habentibus k. (k. 1767. 4. *Julii*)

[66] 9^o: Revisio autem librorum acatholicorum non saltem uni religioso Societatis Jesu, sed pluribus aliis quoque religiosis, et dioecesanis eatenus denominandis viris committatur l. (l. 1745. 21. Junii) attamen.

10^o: Librorum, et scriptorum post defunctos acatholicos regnicolas remanentium sequestratio, et revisio sine praevio scitu, et annuentia caesareo regia per *excelsum* consilium nequaquam ordinetur. m. (m. 1749. 4. Martii)

Instructio pro librorum revisoribus

Ad prosequendum revisionis opus benigne mandat *Sacratissima* Sua *Maiestatas*, ut duo e Societate Jesu viri religiosi, omnigena literatura non minus, quam linguarum Germanicae, Gallicae, Hungaricae, Slavonicae notitia instructi, ab ejusdem societatis superioribus pure ad munus hoc, absque ulla alia obligatione sub directione archi-episcopi Strigoniensis, aut eo absente *episcopi* consilarii obeundum deputentur. [67–68: üres lapok]

[69] *Paragraphus* I mus Agenda, et paranda

1^{mo}: Ne possessores librorum praecipue in itinere constituti ob revisionem moras cum expensis nectere cogantur, omnes libri seu ex tricesima, seu aliunde advenientes directe ad *patres* revisores deferentur, quibus etiam autoritas tribuitur, ut libros recens allatos, quos innocuos, ac per censuram jam admissos noverint, statim facta solum eorum in protocollum domesticum annotatione tradere valeant possessoribus.

2^{do}: Si autem multi ad semel adferentur libri, ad horum accelerandam in commodum praecipue possessoris revisionem, ipse possessor, aut hujus commissionatus ad cathalogum librorum suorum exhibendum, aut si paratum non haberet, quo citius propriis impensis curandum invietur. Cui tamen cathalogo, non plena fides adhibenda, sed cum ipsis libris diligenter combinandus erit.

3^{io}: Ad facilitandam simul, et accelerandam librorum revisionem *patres* revisores non tenebuntur libros, maxime bibliopolarum in cruda sub

censuram sumere, sed tales libri censurandi, et si non perfecte compacti, ad minus compositi et colligati sint, ut Viennae et in aliis censuris consuetum.

4^{to}: Pro majori securitate, et ipsius censurae commodo, bonoque servando ordine, singulus *patrum* revisorum sequentia habeat protocolla.

1^{um} Librorum innocuorum, et statim restituendorum, has rubricas continens.

Possessor et ejus religio	Author libri et materia	Locus annus editionis	Allatus ad revisionem die, mense	Restitutus die, mense
---------------------------	-------------------------	-----------------------	----------------------------------	-----------------------

2^{um} Librorum cum censura repraesentatorum.

Possessor et ejus religio	Author libri et materia	Locus annus editionis	Allatus ad revisionem die, mense	Repraesentatus episcopo praesidi die mense
Per resolutionem regiam				
Admissus die, mense	Confixus die, mense			

3^{tium} Ob notam confixionem destructorum.

Possessor et ejus religio	Author libri et materia	Locus annus editionis	Jam antea confixus	
			Viennae anno, die, mense	Posonii anno, die, mense
Allatus ad revisionem die, mense	Destructus per commissionem anno, mense, die			

[70] His protocollis omnes libros ad revisionem allatos praefati patres inscribant, et jam unum, jam aliud pro rei exigentia *episcopo* consiliario praesidi invicem relationis adferant, qui protocollo innocuorum et ideo statim restitutorum visam in margine apponat. Protocollo autem destructorum addet *episcopus* consiliarius diem, et annum, quo per commissionem

lacerati sunt, ut ita *patres* revisores, multum alioquin occupati, a pluribus scriptitationibus subleventur, ac nonnisi in distinctis foliis repraesentationes suas super configendis, aut prohibendis libris, norma hucdum observata facere debeant; nihilominus praeter memorata tria protocolla, unum adhuc librorum confixorum quivis revisor habeat, cathalogum ordine alphabetico instructum, his cum rubricis.

Cathalogus librorum confixorum

Author libri	Argumentum libri	Locus annus editionis	Confixus ad repraesentationem	
			Viennensem die, mense, anno	Posoniensem die, mense, anno

5^o: Cum autem singulo mense confixorum, et per consequens destructorum elenchus Suae *Maiestati Sacratissimae* submitti praecipiat, ideo actuarius commissionis religionis, aut in hujus defectu alius cancellista *excelsi* consilii, ex praerecensitis protocollis elenchum talem conficiet, quem *patres* revisores informabunt, et ad exacte parandum talem elenchum dirigent.

6^o: Typographias praeterea bibliopolarum, et aliorum cum libris quaestum exercentium, fornices, officinas, et tabernas librarias statis temporibus cum scitu tamen, et annutu *episcopi* commissionis praesidis maxime nundinarum tempore visitent, adscito ad latus suum, uno e gremio magistratus istius civici deputato.

7^o: Si alicui *patribus* censoribus aliunde innotesceret, alicubi intra fines Regni Hungariae impressos, aut ex provinciis extraneis occulte allatos esse libros haereticos, perniciosos, aut scandalosos, illud officii sui esse existiment, cum sufficientibus circumstantiis et indiciis *episcopo* commissionis praesidi notitiam hanc manifestare, ut in tempore de remediis provideri possit.

[71] 8^o: Sciant quoque revisores, libros publiciae licitationi exponi nequaquam posse quin cathalogus horum in duplici consona copia praesidi commissionis tradatur, qui sine mora talem, uni ex *patribus* revisoribus revidendum assignabit, ut investiget, num non aliqui inter eos confixi, et

prohibiti reperiantur, si ita, eos in repraesentatione sua *episcopo* consiliario praesentanda adnotet, quemadmodum ignotos, et suspectos, ut a possessore seu licitationem instituyente pro revisione peti possint.

9^o: Imagines scandalosae aeri incisae seu in tricesima seu apud bibliopolas, aut alios quoque quaestores reportae, detinendae, taliumque venditio omnino praecavenda, etiam occasione licitationis publicae.

10^{mo}: Libri confixi non reponantur, sed ad praesidem commissionis deferantur, ut in publica sessione commissionis destrui, et lacerari possint.

11^o: Immo et dogmatica acatholicorum opera, si ad catholicos possessores pertinerent, pariter ut confixi tractentur, et destruantur.

*Paragraphus II*us Observanda circa libros imprimendos

1^{mo}: Typographi cuncta a se typis mandanda, etiam pagellas, et privata scripta, uti et calendariorum appendices, verbo omnia seu imprimenda, seu reimprimenda censurae praevis submittere debeant.

2^{do}: Imprimendus liber, aut quodcunque aliud folium in duplici manuscripto revisioni tradatur, unum post revisionem cum licentia, et inhibitione impressionis, exhibitori restituendum, aliud hic reservandum. Licentia autem impressionis manuscripto adnotanda fiet, verbo Imprimatur, prohibitio vero exprimentur verbis Non licet cum anni, et diei notatione, praesidisque *episcopi* subscriptione.

3^{tio}: Typographus acceptam facultatem *excelsi* consilii a capite libri per extensum imprimere tenetur, in minoribus autem impressionibus foliorum, et pagellarum saltem praemittet haec formalia: Cum licentia superiorum.

[72] 4^{to}: Typographi in omnibus, adeoque minoribus etiam quibusvis foliorum, et pagellarum impressionibus locum, nomen, et cognomen suum exprimere debent.

5^o: Patres revisores libros ad imprimendum, seu reimprimendum concessos, sibi connolent, et elenchum talium in fine anni *episcopo* consiliario praesidi praesentent.

Paragraphus IIIIus

Circa inductionem, et educationem librorum sine censura

1^{mo}: Ad promovendam in Regno Hungariae rem litterariam admittitur librorum inductio, quin in finitimis tricesimarum stationibus detineantur, et ad viciniorem censuram invientur. Nihilominus officinae litterariae, et bibliopolae obligantur librorum suorum cathalogum ante distractionem constitutis, in tali loco librorum revisoribus exhibere. Immo si isti unum, vel aliud exemplar illorum habere velint, illud quoque dare, et cum reliquorum exemplarium distractione usque approbationem abstinere, idque sub poena confiscationis: ad quam exequendam magistratus civicus assistet.

2^{do}: Libri schismatici semper irrevisi mittentur Viennam, resignandi deputationi Illyricae pro revisione, si tamen majori numero, libri pro iisdem Graeci ritus non unitis in regnum illati fuerint, eorum non omnes, sed singulorum librorum unum exemplar Viennam medio *excelsi* consilii submittetur reliqui autem ipsis extradabuntur.

3^{io}: Libri ex provinciis exteris inducti, qui in Viennensi censura revisi et approbati sunt, etiam hic per *patres* revisores, ubi super ejusmodi approbatione ex authentico testimonio constiterit, pro approbatis habeantur; non absimiliter.

4^{to}: Libri Vienna Posonium allati, de quorum peracta ibidem revisione, mediante testimonio censurae authentico constiterit, et involucra sigillo censurae Viennensis jam noto obsignata fuerint, sine mora dimitti debent, si vero testimonium tale revisionis exhiberetur, involucrum tamen sigillo censurae obsignatum non esset, tunc illud duntaxat diligenter [73] inspiciatur, an non alii, quam in testimonio specificentur, aut specificatis nefors admixti sint? Quo casu specificati, mox dimittendi, alii autem reperti, censuraeque obnoxii revidendi, et utroque casu per *patres* revisores repraesentatio praesidi commissionis facienda. Immo

5^{to}: Attestata censurae librorum aulicae Viennensis subscriptione, et sigillo munita, sive salvi passus litterae inde emanatae, adeo observandae, ut absque ulla ad praecedaneas intuitu unius, aut alterius libri non admittendi interventas resolutiones regias reflexione, et tanto minus aliis fors occurrentibus observationibus attentis, libri omnes in attestatis hujusmodi denotati proprietario suo illico extradentur.

6^{to}: Si libri confixi, qui alias extirpandi forent, ad bibliopolam spectent,isque tales non hic vendere, sed ultro evehere desideret, eorum libri tales ab *excelsa* Consilio *Locumtenentali* Regio obsignentur, utque extra ditiones *caesareo* regias mittantur, curetur. Quare occurrente tali casu *excelsae* Camerae Regiae Hungarico aulicae facta talium obsignatio per *excelsum* Consilium *Locumtenentalie* Regium insinuatur, eo fine, ut necessaria in finitimis tricesimis regiis idcirco fiant dispositiones, indeque de hujusmodi librorum, seu involucrorum sine sigilli *excelsi* Consilii *Locumtenentalis* Regii violatione secuta evectioe submittantur informationes.

7^{mo}: Si libri ad rationem Graeci ritus unitorum allati fuerint, iidem non per hujates revisores, sed per episcopum Graeci ritus unitorum Munkacsiensem praescripto modo revideantur, cujus censura per *excelsum* Consilium Regium *Locumtenentale* Suae *Maiestati* cum opinione repraesentanda veniet.

8^{vo}: Quoad tamen ejusmodi librorum seu inductionem, seu educationem, sine censura nihil sua autoritate patres revisores agant, seu admittant; verum semper talia domino episcopo praesidi insinuent, pro ulteriori dispositione.

[74] *Paragraphus* 4^{tus}

Circa ipsam censuram, et revisionem librorum

Libros singulos eo ordine, quo ad censuram adferuntur, revideant, qui enim prior tempore, potior jure, ut ita nemini possessorum de tardiori revisione conquerendi ansa detur, in censurandis autem libris sequentia observabunt.

1^{mo}: Quae in Deum immortalem ejusque sanctos, ac religionem orthodoxam supremum ecclesiae caput, atque ecclesiasticae hiererchiae dignitatem impie, ac irreverenter, praeterea contra autoritatem, ac legitimam potestatem *caesareo* regiam, ac personam, aliorumque principum, statumque publicum, atque ejus ministros indecenter, libere, ac calumniose scripta sunt. Universim si quid contra statum publicum, bonos mores, aut alias scandalosum, ut hujus lectione mores, animique integritas in certum periculum conjiceretur, item religioni catholicae, principibus catholicis, aut clero injuriosum scriptum repererint, id punctatim, cum adnotatione libri, capituli, et numeri marginalis per extensum ipsis authorum verbis excerpant,

et in scripta referant, ac dein archi-episcopo Strigoniensis vel eo absente episcopo consiliaris de tempore in tempus consignent. Id una

2^{do}: statutum tenentes: librorum censuram, non tam ex inductiva perniciosa consequentia, quam juxta clarum ideae damnatarum propositionum praescriptae tenorem instituendam fore. Atque adeo a multifariis glossationibus abstineant, aut vero si placet, tales in seorsivo scripto deducant, et censurali operi adjiciant.

3^{tio}: Libri Viennae approbati, ubi de authentico super ejus modi approbatione testimonio constiterit, pro approbatis hic habeantur; vice cersa Viennae rejecti et prohibiti, isthic quoque pro talibus tractentur, ea solum cum exceptione ut quoniam Augustanae, et Helveticae confessionis exercitium, per Regnum Hungariae toleretur, circa hujusmodi libros peculiariter praescripta observentur; quae ad haec fere puncta reducuntur.

[75] *Paragraphus* 5^{tus} Circa libros acatholicos observanda

1^{mo}: Bibliorum, aliorumque librorum acatholicorum inductio, absque praevia eorundem num prioribus editionibus ipsorum sint conformia revisione vetatur. Quare

2^{do}: Biblia per acatholicos in vernaculam translata, aut ipsis curantibus edita, ea solum in sortem non admittendorum veniunt, quae a primaevis per ipsos factis editionibus discrepantia observata fuerint;

3^{tio}: in librorum acatholicorum revisione attendendum, an non aliquid statum publicum feriens, vel alias etiam scandalosum, aut prioribus Augustanae et Helveticae confessionis editionibus repugnans, aut ipsi genuino toleratarum confessionum dogmati minus conforme in se contineant, tale autem specificice per revisorem exponatur, Suae *Maiestati* cum opinione *excelsi* consilii repraesentandum.

4^{to}: Neque libri acatholici cum modestia, et sine ullis in magnam Dei Matrem, et sanctos, ac ecclesiam Romana-Catholicam, ejusdemque pontificem et clerum, principes item catholicos, injuriosis scomatibus, nec non fidelem populum improperiis, et calumniis, ad tuendas solum professiones ipsorum sineque novarum permixtione conscripti sunt arceantur.

5^{to}: In admittendis acatholicorum libris discrete agatur. Symbolici, Biblia, et cathecismi ipsorum non difficultentur, esto interdum leviora invectiva et convitia, quae ex ipsa essentia controversorum fidei punctorum promanant, uti essent superstitiones, lucri cupido, vis conscientiarum etc. etc. contineant, ipsum namque dogma illorum jam est orthodoxae religioni investivum: e contra

6^{to}: nullus liber ex illis, si ii crassiores criminationes, et laesiones continerent acatholicis extradetur.

7^{mo}: Liber caeteroquin bonus ob praefationem per acatholicos concinnatam non est reprobandus.

8^{vo}: A catholici libri, catholicis non concedantur, nec extradentur, nisi vi officii sui doctores, theologi, concionatores, et his similes, talium necessitatem habentibus.

[76] *Paragraphus* 6^{tus} Methodus revisionis librorum

1^{mo}: Libri censurandi regulariter loquendo pervolvendi sunt, a capite ad calcem, non quidem de verbo ad verbum, quod in vastis voluminibus infiniti esset laboris, sed perlustrando summarios titulos, praefationes, indices, notas, marginales, et similia.

2^{do}: Bene tamen excutiendus liber, et paginae perlustrandae, nec non titulo libri facile credandum, experientia enim edoctum, prohibitum librum ejecto titulo proprio latere sub alio innocuo, aut etiam libro bono alium adjectum, et simul compactum esse.

3^{io}: Diligenter inspiciendus Index librorum prohibitorum, jussu sacro sanctae Tridentinae synodi editus, item Index librorum a Sacra Sede prohibitorium. Denique

Lexicon eruditorum, quibus adminiculis facilius deprehendi potest, velut ex vestigiis tum authoris tum libri ipsius probitas, aut improbitas, vel saltem occasio dabitur, prudenter de libro sinistri aliquid suspicandi. Proinde ubi indicium aliquod veneni ex his detectum fuerit, ibi accuratior lectio, et investigatio erit adhibenda.

4^{to}: Si sufficiens materia pro censura alicujus libri *verbi gratia* 10 notabiles *paragraphi* vel etiam pauciores reperiantur, ulterius cum tam

exacta lectione pergendum non erit, sed currente oculo perlustrato libro, reliquis ex eo excerptis addendum erit; similia habet, vel continet liber, in aliis etiam paginis *verbi gratia* numero tali vel tali.

5^{to}: Ea, quae censura digna judicantur, excerpantur, de verbo ad verbum, ea lingua, qua liber scriptus est, vel certe fideliter in latinum translata, cum citatione paginae, ejusque initii, medii, vel finis, in quibus excerpta continentur. Si liber pauca castigatione indigeat, nihilominus illa ipsa excerpenda erunt.

6^{to}: Expediit, ut *patres* revisores excerpta ex libris, quos revident, prius in maculatorium conjiciant, sic enim facilius censuram repraesentandam debito ordine in puram chartam transferre poterunt, hujusque maculatorii subsequente etiam fors unum habebunt.

[77] *Paragraphus* 7^{mus} Forma repraesentationis librorum

In repraesentationibus suis *episcopo* consiliario, ut *paragrapho* 4^{to} numero 1. attactum, exhibendis

1^{mo}: Proprietarium cujuslibet libri ad revisionem assumpti, nominatenus designent, adnotando etiam, cujusnam religionis sit?

2^{do}: Tempus ad revisionem dati libri adnotetur.

3^{io}: Titulus libri, author, ejusque religio cum loco et anno, item formatae editionis describatur.

4^{to}: Observati errores, et naevi, modo supra 2. et 3^{io} notato recenseantur.

5^{to}: Post hoc opinionem suam rationibus suffultam paucis adjiciant, an librum talem configendum, vel possessori restituendum opinentur.

6^{to}: Ejusdem authoris opera ordine continuato referant.

7^{mo}: Hujusmodi repraesentationibus suis cum censura non immisceant, alios licitos; et toleratos, aut certo prohibitos, et confixos, sed solum quos configendos, et prohibendos censent, nec de eorum prohibitionem constat, aut saltem ob libri alias inter confixos numerati, novam, correctamve editionem, dubium concipiunt.

8^{vo}: Denique repraesentationibus suis, semper datum mensis, diei, et anni apponant, suumque nomen subscribant.

9^o: Ut autem repraesentationis istiusmodi, forma magis appareat, et conspectui exponatur, subjicitur hoc loco breve paradigma, cujus adinstar patres revisores suam repraesentationem conficere solent, est vero sequens:

Censura librorum

Ex tricesima regia Poseniensi, vel aliunde die T. mense T. anno T. allatorum, et ad dominum N. N. catholicum, vel Augustanae, aut Helveticae confessionis bibliopolam, vel doctorem, concionatorem etc. spectantium.

[78] 1^{mi} cui titulus

(Calvinista vel Lutheranus.) Alphonsi Turetini Dilucidationes philosophico-theologico-dogmatico morales, volumnia, vel Tomi 4. Basileae 1748 in folio.

Liber hic praeter propria Augustanae, vel Helveticae confessionis dogmata, quam insuper impius scandalosus, et perniciosus sit, ex sequentibus patebit.

In praefatione, vel dedicatione pag. *verbi gratia* 8^a vel 9^a habet haec formalia ... (Blasphemia in Deum, et damnatus indifferentismus.)

In Libro... Pag. *verbi gratia* 35. circa metuim haec ... (Calumniae in Romanum pontificem.)

Pag. *verbi gratia* 68. sub ivitium ... (Scomata in clerum.)

Pag. *verbi gratia* 89. circa finem ... (Principibus catholicis injurius.)

Pag. *verbi gratia* 100. per totum caput, perversum docet, et deffendit doctrinam de baptismi per solum ministrum collatione ... (Perversa de baptismo doctrina.)

His similia pluribus in paginis reperiuntur, cum itaque liber hic praeter errores Helveticae confessioni in Hungaria toleratae proprios, alia impia, scandalosa, et pernicioosa in se contineat, ideo configendus, vel prohibendus. etc. etc.

Finita unius libri censura eodem modo progreditur ad censuram libri 2^{di} 3^{tii} etc. et sic de reliquis intelligendo. Quibus omnibus absolutis post censuram omnium librorum ponitur subscriptio hoc modo.

Repraesentata die mense, anno
a P. P. N. N. e Soc. Jesu librorum
revisore.

[79] 10^{mo} Post resignatam praedicto modo censuram *patres* revisores, donec finalis decisio per *excelsum* consilium iisdem decretaliter intimetur, libros a se revisos fideliter conservent apud se.

Postquam autem decretum tale acceperint, libros in eo specificatos, si possessoribus reddi jubentur, ei consignent, a quo ipsos primitus pro revisione acceperunt, acceptis etiam, si commode fieri potest recognitionalibus, suoque protocollo domestico sub *numero* 1 aut 2^{do} accurate restitutionis diem inscribant. Si vero confixi declarantur, tales ad praesidem commissionis destruendos ferant, hujusmodi autem decreta *excelsi* Consilii *Locumtenentialis* Regii bono ordine diligenter asservent, indicemque eorum, seu extractum singulus pro sui, et successorum directione faciliori conficiat.

Atque haec sunt, quae *patribus* revisoribus in examinandis, revidendis, et censurandis libris accurate et in omni observanda sunt. Quod si tamen in aliquo occurrenti casu, et circumstantia dubium agendorum conciperent, aut difficultatem sentirent, ad *episcopum* commissionis praesidem pro in viatione et directione recurrant, est necesse.

Quae omnia circa revisionem librorum pro directione commissionis istius obsequentissimae, ac ac etiam *patrum* revisorum instructione modo, et ordine hucdum recensito elaborata, et Suae *Maiestati Sacratissimae* partim pro notitia, partim pro benigna ratificatione humillime submittenda, alto Serenitatis Vestrae Regiae, et *excelsi* Consilii *Locumtenentialis* Regii iudicio perdemisse substernuntur.

Felhasznált irodalom

- BALLAGI BALLAGI Géza, *A politikai irodalom Magyarországon 1825-ig*, Budapest, Franklin-Társulat Magyar Irodalmi Intézet és Könyvnyomda, 1888.
- DONÁTH 1955 DONÁTH Regina, *Adalékok a magyarországi cenzúra XVIII. századvégi történetéhez*, Magyar Könyvszemle, 1955, 307–312.
- DONÁTH 1957 DONÁTH Regina, *Néhány adat a cenzúra történetéhez az 1754. évből*, Magyar Könyvszemle, 1957, 375–379.
- DONÁTH 1961 DONÁTH Regina, *Néhány adalék a szerzői kézirat és cenzúra viszonyához a XVIII. század végén*, Magyar Könyvszemle, 1961, 489–496.
- DONÁTH 1967 DONÁTH Regina, *A könyvcenzúra az állam kezében – Mária Terézia és Barkóczy primás*, Magyar Könyvszemle, 1967, 43–49.
- DONÁTH 1970 DONÁTH Regina, *Újabb adatok a Mária Terézia-kori cenzúra történetéhez*, Magyar Könyvszemle, 1970, 173–182.
- DONÁTH 1971 DONÁTH Regina, *Van Swieten által cenzúrázott könyvek az Egyetemi Könyvtárban*, Az Egyetemi Könyvtár Évkönyvei, 1971, 249–267.
- DONÁTH 1972 DONÁTH Regina, *Tiltott könyvek egy Mária Terézia korabeli főúri könyvtárban*, Magyar Könyvszemle, 1972, 210–219.
- DONÁTH 1986 DONÁTH Regina, *Végrehajtási utasítás Mária Terézia 1747-es cenzúrarendeletéhez*, Magyar Könyvszemle, 1986, 81–88.
- ECSEDY 1996 V. ECSEDY Judit, *Titkos nyomdahelyű régi magyar könyvek, 1539–1800*, Budapest, Borda Antikvárium, 1996.

- ECSEDY 1999 V. ECSEDY Judit, *A könyvnyomtatás Magyarországon a kézisajtó korában, 1473–1800*, Budapest, Balassi, 1999.
- EMBER 1937 EMBER Győző, *A Magyar Királyi Helytartótanács ügyintézése, I: 1724–1783*, Levéltári Közlemények, 1937, 84–117.
- EMBER 1942/43 EMBER Győző, *A helytartótanács egyházügyi bizottságának kialakulása*, Regnum, 1942/43, 229–252.
- FALLENBÜCHL FALLENBÜCHL Zoltán, *A Magyar Kamara és a könyvek*, Az Országos Széchényi Könyvtár Évkönyve, 1968–1969, 305–316.
- FINÁCZY FINÁCZY Ernő, *A magyar közoktatás története Mária Terézia korában, I. 1740–1773*, Budapest, Magyar Tudományos Akadémia, 1899.
- IPOLYI IPOLYI Arnold, *Schematismus historicus dioecesis Neosoliensis: Pro anno 1876*, Neosolii, 1876.
- Kalmár György Kalmár György, „*a magyar nyelv szerelmese*”, s. a. r., bev. SZELESTEI N. László, Piliscsaba, PPKE BTK, 2000 (Pázmány Irodalmi Műhely – Források, 2).
- KOSÁRY KOSÁRY Domokos, *Művelődés a XVIII. századi Magyarországon*, Budapest, Akadémiai, 1980.
- Kritikai kiadás Irodalmi szövegek kritikai kiadásának szabályzata, összeállította PÉTER László = *Bevezetés a régi magyarországi irodalom filológiájába*, szerk. HARGITTAY Emil, Budapest, Universitas, 2003³, 114–131. (A függelék latin nyelvre vonatkozó szabályzatát KULCSÁR Péter állította össze.)
- Megbíráltak *Megbíráltak és bírálók: A cenzúrahivatal aktáiból (1780–1867)*, szerk. MÁLYUSZNÉ CSÁSZÁR Edit, Budapest, Gondolat, 1985.
- Magyar nagylexikon *Magyar nagylexikon*, főszerk. ÉLESZTŐS László, V, Budapest, Magyar Nagylexikon Kiadó, 1997.
- SASHEGYI 1968 SASHEGYI Oszkár, *Az állami könyvcenzúra kezdetei Magyarországon (1673–1705)*, Magyar Könyvszemle, 1968, 1–12.

- SASHEGYI 1969 SASHEGYI Oszkár, *Az állami könyvcenzúra állandósulása Magyarországon (1706–1725)*, Magyar Könyvszemle, 1969, 321–338.
- SASHEGYI 1974 SASHEGYI Oszkár, *A helytartótanács bekapcsolódása a cenzúraügyek intézésébe (1726–1730)*, Magyar Könyvszemle, 1974, 40–54.
- SCHERMANN SCHERMANN Egyed, *Adalékok az állami könyvcenzúra történetéhez Magyarországon Mária Terézia haláláig*, Budapest, 1928; reprint: Budapest, Hatágú Síp Alapítvány, [1994].
- STEMPELY STEMPELY Irén, *Adalékok a könyvkiadás és -vizsgálat kapcsolatához a 18. században, a Systematica collectio alapján = Summa: Tanulmányok Szelestei N. László tiszteletére*, szerk. MACZÁK Ibolya, Piliscsaba, PPKE BTK, 2007 (Pázmány Irodalmi Műhely – Tanulmányok, 7), 281–284.
- Systematica collectio* *Systematica collectio*, Országos Széchényi Könyvtár, Kézirattár, Fol. Lat. 855.
- SZABÓ SZABÓ Botond, *Könyvforgalom és könyvrevízió a XVIII. században: Piskárosi Szilágyi Sámuel szuperintendens hagyatékáról*, Theologiai Szemle, 1979, 348–351.
- SZÁNTÓ SZÁNTÓ Konrád, *A katolikus egyház története, III: Az egyháztörténet forrásai: Szöveggyűjtemény*, Budapest, Ecclesia, 1987.
- SZELESTEI 1991 SZELESTEI N. László, *Hamis impresszumú könyvek a 18. századi Magyarországon, II (Magyar nyelvű ima- és énekeskönyvek az 1730-as években)*, Magyar Könyvszemle, 1991, 343–352.
- SZELESTEI 2003 SZELESTEI N. László, *Jezsuita könyvvizsgálók Mária Terézia korában = Fata libelli: A nyolcvanéves Borsa Gedeon köszöntésére írták barátai és tanítványai*, szerk. P. VÁSÁRHELYI Judit, Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, 2003, 331–342.

- SZINNYEI SZINNYEI József, *Magyar írók élete és munkái*, I, reprint, szerk. KOLLIN Ferenc, Budapest, Magyar Könyvkiadók Egyesülete, 1980–1981.
- SZÖRÉNYI 1979 SZÖRÉNYI László, *Faludi Ferenc, a könyvvizsgáló*, Magyar Könyvszemle, 1979, 1–24.
- SZÖRÉNYI 1996 SZÖRÉNYI László, *Faludi Ferenc, a könyvvizsgáló = Sz. F., Memoria Hungarorum: Tanulmányok a régi magyar irodalomról*, Budapest, Balassi, 1996, 77–107.
- VOIT VOIT Pál, *Cenzúratipológiai megfigyelések a 18. századi magyarországi cenzúráviszonyok között*, Bölcsészdoktori értekezés, kézirat, Budapest, 1995, Egyetemi Könyvtár, Kézirattár, KD 8917.

Személynévmutató

- Althann Mihály 19
- Bach, Alexander 26
Ballagi Géza 11, 30, 31, 89
Barkóczy Ferenc 23, 35, 59, 89
Benedek, XIII., pápa 20
Berchtold Ferenc 10, 11, 24
Borromei, nuncius 25
Borsa Gedeon 91
- Calvin, Jean 67
Cicero, Marcus Tullius 55
- Csáky Miklós 10, 29
- Dávid 31
Dobner Sebestyén Ferdinánd 14
Donáth Regina 7, 8, 12, 17–19, 21–24, 26, 35, 41–44, 89
- Ecsedy Judit, V. 14, 40, 43, 89, 90
Élesztős László 90
Ember Győző 19, 26, 27, 29, 35, 90
Esterházy Pál 14
- Fallenbüchl Zoltán 30, 32, 90
Faludi Ferenc 33, 92
Ferdinánd, II., magyar király 14
Ferdinánd, III., magyar király 19
Fináczy Ernő 8–10, 12, 18, 21, 90
- Giordani, Paolo Bernardo 35
- Hargittay Emil 90
Haugwitz, Friedrich Wilhelm 20
Heidegger, Johann Heinrich 34
- Illésházy János 33
Ipolyi Arnold 11, 90
- József, II., magyar király 13, 26
- Kalmár György 34, 39, 90
Károly, III., magyar király 13, 15–17, 19, 26
Kelemen, XIII., pápa 24, 25
Kemény János 31
Koller József 33
Kollin Ferenc 92
Kollonich Lipót 27
Kosáry Domokos 8, 90
Kulcsár Péter 90
Kurtzböck, Joseph 51
- Lajos, II., magyar király 13
Langler Ignác 33
Lipót, I., magyar király 27
Luther, Martin 22, 67, 68
- Maczák Ibolya 91
Maholányi Judit (O'Neill grófné) 42
Mályuszné Császár Edit 90
Mária, Szűz 37
Mária Terézia, magyar királynő 13, 17–25, 42, 89–91
Miksa, I., magyar király 13
Moulin, Pierre Du (Molinaeus, Petrus) 34
- Pátkai Péter 31
Péter László 90
Pichler György 23
Piskárosi Szilágyi Sámuel 91
- Rosnyai Janos 31
- Sashegyi Oszkár 13–17, 27, 28, 30, 31, 90, 91
Sched 34

Schermann Egyed 10, 11, 13, 14, 17–25,
28, 33, 91

Schrattenbach, Sigismund von 20

Sizzofanti, apát 20

Sottius 34

Stempely Irén 11, 40, 91

Streibig József Antal 14, 15

Swieten, Gerard van 19, 20, 25, 89

Szabó Botond 31, 91

Szántó Konrád 20, 25, 91

Széchényi Ferenc 10

Szelepcsényi György 14

Szelestei N. László 9, 10, 12, 18, 25, 39,
43, 44, 90, 91

Szentiványi Márton 14, 15, 27

Szinnyei József 10, 92

Szőrényi László 10, 11, 22, 33, 41, 42, 44,
92

Trautson, Johann Joseph von 20

Turetini, Jean Alphonse 39, 87

Vajkovic Imre 24

Vásárhelyi Judit, P. 91

Verseghy Ferenc 33

Voit Pál 9, 92

Wolffsegger Ignác 33